

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Pars Posterior.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

Pater Spiritum sanctum nobis promiserit, eumque dare paratus sit petentibus a se, Ies. XLIV, 3. Luc. XI, 13. (2) quod ex inhabitatione eius maius omni contradictione testimonium de diuina adoptione, et arrhabonem de futura hereditate habeamus, Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6. 2 Cor. I, 22. (3) quod hinc nec diuina virtus ad veram sanctificationem, nec necessarium solatium sub afflictionibus nobis defuturum sit. vid. §. XI. XII.

PARS POSTERIOR.

ARTICVLVS PRIMVS

DE

IMAGINE DEI.

§. I.

Articulus de imagine Dei
Postquam in parte prior THEOLOGIAM, siue doctrinam de Deo triuno, spectauimus; iam ex supra facta diuisione in hac posteriore parte ANTHROPOLOGIA, siue doctrina de homine, tradenda est.

In quotuplici statu considerari homo potest?

§. II.

Homo autem in *quadruplici* statu considerari potest; (1) in statu *institutionis*, seu *innocentiae*, (2) *destitutionis*, siue *peccati*, (3)

(3) *restitutionis inchoatæ*, seu *gratiæ*, (4) *restitutionis plenariæ*, seu *gloriæ*.

§. III.

Ad cognitionem hominis, in statu in- Ad cogni-
stitutionis seu innocentiae considerati, spe- tionem
ctat *contemplatio originis eius*, quæ Gen. hominis,
I. II. fusius describitur. Vnde perspicimus, in statu
fuisse hominem ex rebus creatis visibilibus, innocen-
tiae confi-
derati,
nobilissimam et præstantissimam. Vid. etiam spe-
ctat?
Sirac. XVII, 1-11. Sap. X, 1. Act. XVII, quid spe-
ctat?
28. 29. Luc. III, 38. Hæc autem eius
prærogatiua præcipue constitit in *diuina*
imagine, ad quam homo præ omnibus rebus
creatis visibilibus conditus fuit.

§. IV.

Is, qui hominem ad istam præstantissi- Quis ille,
mam imaginem creauit, *Deus triunus* est, qui homi-
nem ad
quemadmodum numerus pluralis in voca- imaginem
bulis *נעשה בצלמנו* *faciamus*, sui crea-
uit?
ad imaginem *nostram*, ad similitudinem *no-*
stram, indicat, Gen. I, 26. Et quidem Pa-
ter, cui communiter opus creationis tribui-
tur, *Filius*, imago Dei substantialis, Col. I,
15. 16. Hebr. I, 3. et *Spiritus sanctus*, qui
nunc etiam amissam imaginem in nobis in-
staurat et renouat, Tit. III, 5. 7.

§. V.

Sunt autem *primi parentes* nostri, quos Quinam
imagine sui dignatus est Deus, adeoque non illi, qui
solus *Adam*, sed *Eua* etiam, vxor eius, Gen. diuinam
imagine
I, 27. V, 1. 2. vnde renouationis ad ima- accepe-
ginem
runt?

E

ginem

runt?

ginem diuinam vterque sexus capax est, Gal. III, 28. 1 Petr. III, 4. 7. Istam autem imaginem non pro se solis, sed *pro omnibus etiam posteris suis* acceperunt; siquidem ex eorum sanguine vniuersum genus hominum Deus creauit, vt in omni terræ solo habitaret, Gen. I, 28. Aët. XVII, 26. coll. Hebr. VII, 9. 10. sicut delicto etiam ipsorum factum est, vt ad omnes homines mors et condemnatio peruaserit. Rom. V, 12. 18. 1 Cor. XV, 21. 22. 47-49.

§. VI.

Per ima-
ginem
Dei quid
intelligi-
tur?

Imago
Dei ad
quid atti-
net?

Per imaginem autem Dei nihil intelligitur aliud, quam *conformitas cum Deo* creatore, quam homo in statu innocentiae habuit. *LUTHERVS* Comment. in Gen. I. Tom. VI. Witteb. fol. 15. b. (Tom. IX. Alt. fol. 31. b.) „*Fuit præstantissimum quiddam illa imago Dei, in quam inclusa fuit „vita æterna, securitas æterna, et omnia bona.*” Attinet autem illa in specie (1) ad *ipsam essentiam animæ*, quippe quæ homini a Deo inspirata, Gen. II, 7. et spiritualis est, sicut ipse Deus spiritus est, Io. IV, 24. eiusque diuersas facultates, intellectum, voluntatem et memoriam, quæ, quum communi spiritali essentia gaudeant, et certo tamen modo etiam ab se inuicem distinctæ sint, admodum iucundam, licet imperfectam, Trinitatis imaginem ac similitudinem exhibent: vnde homo etiam post lapsum adhuc imago Dei

Dei vocatur Gen. IX, 6. Iac. III, 9. (2) ad
dotes, quibus Deus animam hominis secun-
 dum omnes eius facultates ornauerat, quæ,
 generatim spectatæ, idem fuerunt, quod
 Spiritus sanctus alias *vitam ipsius Dei*, Eph.
 IV, 18. *diuinam naturam*, 2 Petr. I, 4. *iusti-*
tiam et sanctitatem ipsius veritatis, Eph. IV,
 24. *gloriam ipsius Dei*, Rom. III, 23. *simplici-*
tatem et rectitudinem appellat, 2 Cor. XI, 3.
 Eccles. VII, 30. quod non de intellectu tantum,
 sed de voluntate etiam accipiendum est.
Intellectus enim hominis diuina luce et cæ-
 lesti sapientia atque vnctione repletus erat,
 vt natura Deum secundum essentiam, ope-
 ra et voluntatem sine illa hæsitacione et er-
 rore cognosceret, Col. III, 10. coll. Io. XVII, 3.
 Beneficio huius sapientiæ, in creatione diui-
 nitus acceptæ, homo mirificam et excellen-
 tem rerum etiam naturalium notitiam ha-
 buit, cuius rei appellatio tum animantium
 tum vxoris luculentum testimonium est,
 Gen. II, 19. 20. 23. 24. coll. 1 Reg. IV, 32. 33.
 Sap. VII, 17. 21. *Voluntas* hominis diuina
 virtute et amore penitus perfusa erat, ita vt
 Deo ex omni voluntate ipsius, in perfecta
 iustitia et sanctitate, sine vlllo peccato seruire
 et obtemperare posset, Eph. IV, 24. Vnde
 dulcis et filialis fiducia in Deum, perpetua
 pax et constans gaudium, nec non certa
 vitæ æternæ spes ipsi fuerit oportet, Rom.
 VIII, 6. XIV, 17. quæ omnia non amplius

in homine reperiuntur, Spiritus sancti beneficio in regeneratione et quotidiana renouatione demum instauranda. *Affectus* etiam hominis tam sancte et recte se habebant, ut sponte sua sine vlla lucta et rebellionis sese subiicerent, quæ facultates superiores (intellectus et voluntas) bona Deoque accepta esse cognoscerent et præciperent, nulla prauorum motuum *ἀνταρξία* turbati, Gen. II, 25. (3) Quum totus homo ad imaginem Dei formatus fuerit, *corpus* etiam aliquid habuit Dei simile, quæ similitudo in tali immortalitatis genere posita fuit, ut sine morbo atque infirmitate, immo sine morte, (per peccatum demum in mundum ingressa, Rom. V, 12.) in vitam æternam recipi potuisset, Sap. I, 13. 14. II, 23. In quibus præterea homini similitudo aliqua cum Deo etiam secundum corpus fuerit, a posteriori concludi potest ex I Cor. VI, 19. 2 Cor. V, 4. Ps. LXXXIV, 3. XCIV, 9. Rom. VI, 13. 17. 19. 1 Thess. V, 23. Act. VI, 15. (4) In eo etiam homo imaginem creatoris sui gessit, quod, quemadmodum ille in omnes res creatas imperium habet, ita quoque homo *potestatem* et *ius* haberet in omnia animantia aliasque res terrestres, vitro sibi subiectas, a quibus nec lædi poterat, Gen. I, 28. Sirac. XVII, 4. Sap. X, 1. coll. Ps. XCI, 13. Marc. I, 13. XVI, 18. Act. XXVIII, 5. Ies. XI, 6-8. XXXV, 9. LXV, 25. Hof. II, 18. *LVTHERVVS* in Comment.

ment. in Gen. c. I. Tom. VI. Witteb. fol. 15. a.
 (Tom. IX. Alt. p. 30. a.) „Plane existimo,
 „ante peccatum Ade oculos ita fuisse acutos et
 „claros, ut lincem et aquilam superaret, leones
 „autem et vrsos, quorum maximum robur est,
 „ipse fortior tractaret non aliter, quam nos
 „catulos tractamus. Hæc omnia simul con-
 „iuncta annon talem virum constituunt et fa-
 „ciunt, in quo imaginem Dei relucere sentias?
 „Maxime quum addas etiam imperium in crea-
 „turas. Ut sicut Adam et Eva Deum agnove-
 „runt dominum; ita postea ipsi reliquis crea-
 „turis in ære, aqua, terra dominati sint.
 „Hanc maiestatem quis potest verbis adsequi?
 „Nam ego credo, Adam ita potuisse vno verbo
 „imperare leoni, sicut nos imperamus adfue-
 „facto cani.„ Demique (5) vti Deus maiesta-
 tem ac gloriam suam in amabilibus sedibus
 declarat; ita hominem imagine sua orna-
 rum in horto paradisi constituit, ut eum sine
 labore et molestia coleret, eiusque amœni-
 tate in se, suamque ad gloriam frueretur,
 Gen. II, 15. 16. quod quidem iuxta ac im-
 perium in res creatas, num. anteced. memo-
 ratum, magis effectus diuinæ imaginis fuit,
 quam quod ipsa in eo sita fuerit.

§. VII.

Finis diuinæ imaginis erat, ut homines *Finis* di-
 in perpetua vnione ac communione cum vniuersæ ima-
 Deo viuerent, et præstantissimarum sibi ginis
 impertitarum dotium virtute, ratione Deo quis?

probata, sua sponte, non coacti ipsum colerent, atque adeo ex isto cultu salui euaderent, vitamque æternam adipiscerentur.

§. VIII.

Officium nostrum est, (1) pulchritudinis
Quodnam concreatæ nobis imaginis diuinæ sedulo re-
hac in re cordari, vt hoc ipso ad submissam gratiarum
officium actionem pro isto beneficio et pro elucescente
nostrum? hinc caritate et humanitate Dei excitemur.
 (2) Quum in præsentî naturæ nostræ statu peccatum, tamquam imaginem diaboli, imaginis diuinæ loco feramus, tanto studiosius finem et metam renouationis nostri, quæ est diuinæ imaginis, seu concreatæ nobis gloriæ instauratio, consecrari, eamque ob causam mundanam cupiditatis corruptelam effugere, Phil. III, 13. 14. 2 Petr. I, 4. (3) Propter paradisiacam gloriam, solis victoribus præcepta Dei tuentibus promissam, sinceræ obedientiæ erga Deum operam dare, et aduersus antiquum serpentem, qui astutia sua nos a præcepto diuino abstractos vicit, præclarum certamen certare, illiusque tentationes vincere. Apoc. II, 7. XXII, 1. 2. coll. Gen. III, 1. seqq.

§. IX.

Quodnam *Solacium*, ex hac doctrina redundans,
solacium? est, (1) quod ex eo, quod Deus ex omnibus rebus creatis visibilibus solum hominem sanctitatis et iustitiæ suæ imaginem esse et vocari dignatus sit, de benignitate et humanitate ipsius certo nobis constare possit.
 (2) Quod

(3) Quod in Christo, secundo Adamo, diuina imago perfectior, quam in primo Adamo, nostro bono fuerit luxeritque. Hebr. I, 3. Io. III, 34. 35. Rom. V, 14. cet. (3) Quod Deus, qui liberrimo amore motus nos olim ad imaginem sui condidit, etiam nunc paratissimus sit, eam in nobis per Christum renouare, immo aliquando secundum animam et corpus perfectissime instaurare. 2 Cor. III, 18. Ps. XVII, 15, 1 Cor. XIII, 12. XV, 49. 54. 1 Io. III, 2. Phil. III, 21. *LUTHERVS* Comment. in Gen. I. Tom. VI. Witteb. fol. 16. a fin. (Tom. IX. Alt. fol. 32. b.) „*Nomen et vocabulum domini retinemus ceu nudum titulum: ipsa autem res fere tota amissa est. Et tamen bonum est, ista scire et cogitare, ut suspiremus illum venturum diem, in quo hæc nobis restituentur, quæ in paradiso per peccatum amisimus. Exspectamus enim eam vitam, quam expectasset quoque Adam. Atque hoc recte miramur, et Deo ob id gratias agimus, quod nos peccato sic deformati, sic hebetes, stupidi et mortui quasi per beneficium Christi expectamus eandem gloriam vitæ spiritualis, quam Adam expectaturus erat, si mansisset in sua animali vita, quæ imaginem Dei habebat.*“ (4) Quod in futura vita omni gloria et claritate cælestis paradisi, quem morte et resurrectione sua reclusit Christus, Luc. XXIII, 43. 1 Cor. XV. et cuius typus terrestris ille fuit, æternum perfruituri simus.

Apoc. II, 7. XXII, 1. 2. 14. coll. Gen. II, 8-15.
III, 22-24.

ARTICVLVS SECVNDVS

DE

HOMINIS LAPSV ET
PECCATO.

§. I.

Quomodo
hic articu-
lus cum
præceden-
ti cohae-
ret?

Homo in statu concreatae innocentiae et
sanctitatis non perstitit, sed ab anti-
quo serpente deceptus animum a
creatore suo et summo bono auertit, conuer-
titque in inordinatum amorem sui et rerum
creatarum, qua de re accurate exponitur
Gen. III. Vnde homo in *lapsu et peccato* se
cognoscere discat, oportet, de quo in hoc
articulo, ordine sic exigente, agendum est.

§. II.

Lapsus
protopla-
storum
qua in re
constitit?

Lapsus et peccatum protoplastorum et
omnium hominum in illis, non in solo fructus
arboris veritatis esu constitit, sed, ut diximus,
in *interna animi auersione a Deo ad se ipsos,*
mundum, immo ad ipsum diabolum, Gen. III, 6.
coll. 1 Io. II, 16. Rom. V, 19. quamobrem
nec liberatio e statu peccati aliter fieri potest,
quam ut quis ex tenebris in lucem, et ex sata-
nae potestate ad Deum se conuertat, secundum
Act. XXVI, 18. et alia plura sacrarum littera-
rum testimonia. *LEATHERVS* Comment.
in Gen. II. Tom. VI. Wirreb. fol. 23. a. (Tom.
IX.

De hominis lapsu et peccato. 105

IX. Alt. fol. 46. a.) „Adam quidem in pomum
„figit dentes, reuera tamen figit dentes in acu-
„sileum, qui erat prohibitio Dei et inobedientia
„erga Deum. Hac est vera causa mali, sci-
„licet quod contra Deum peccat, eius man-
„datum negligit, et paret satanae.”

§. III.

Per hunc vero lapsum imago Dei amissa Lapsus
est, et peccatum; satanae imago, in mundum quid at-
traxit; cuius iam originem, naturam, traxit?
discrimen et poenam dedita opera cognoscere
debemus: ut (quemadmodum LUTHERVS Agnitio
loquitur) tandem aliquando ex somno pec- peccati ad
catorum experrecti, oculis apertis horribilem quid pro-
noxam et perniciem, ceruicibus nostris in- dest?
cumbentem, videamus, ad Deum manus
supplices tendamus, ab eoque opem et
auxilium, solatium et liberationem ex hac
miseria petamus.

§. IV.

De origine peccati notandum, nequa De origi-
quam id esse a Deo, nec ei adscribi posse. Ipse ne peccati
solus essentialis sanctitas est, ut adeo ab ipso quid no-
nihil, nisi quod bonum, sanctum et rectum tandum?
est, proficisci possit. Matth. XIX, 17. 1 Io. I, 5.
quippe qui est ἀπεργασίας κακῶν, hoc est, is,
qui malis tentari non potest, Iac. I, 13. 17.
(vid. supra Part. I. Art. I. §. XI.) Vnde
peccatum non introduxit, sed omnia creauit
bona, speciatim quoque homines, 1 Io. II, 16.
Gen. I, 31. Sap. I, 13. 14. Nec quempiam

ad peccandum impellit, Iac. I, 13. sed peccatum odit et punit, Pf. V, 5. Zach. VIII, 17. Rom. III, 4-6. (vid. Part. I. Art. I. §. XII.) Quomodo diuina providentia respectu peccati sese habeat, supra Part. I, Art. IV. §. V. indicauimus. Itaque quum in nonnullis sacrae scripturae oraculis Deus dicitur homines indurare, Exod. IX, 12. Ies. VI, 10. tradere in turpes libidines et mentem iudicii expertem, Rom. I, 26. 28. dare torpentem animum, c. XI, 8. cetera; id ex ante adductis testimoniis explicandum, nec intelligendum est aliter, quam quod Deus ex iusto iudicio hominibus, qui sua ipsorum praua voluntate ab ipso ipsiusque voluntate defeecerunt, gratiam suam et Spiritum sanctum subtrahat, et suis eos cupiditatibus et corruptioni mundi et satanae permittat, 1 Reg. XXII, 19. Verum *diaboli* inuidia mors in mundum intrauit, Sap. II, 24. utpote qui non solum primus peccauit, Io. VIII, 44. 2 Petr. II, 4. Iud. comm. 6. sed protoplastos etiam ad peccandum induxit, Gen. III, 1. seqq. Io. VIII, 44. 1 Io. III, 8. 2 Cor. XI, 3. Deinde etiam peccatum a *primis* illis *parentibus* nostris est, *Eua* scilicet, immediate a diabolo 1 Tim. II, 14. et *Adamo*, mediate per mulierem decepto. Itaque omnia peccata, quae postea facta sunt et adhuc fiunt, ex deceptione satanae Eph. II, 2. VI, 11. 2 Tim. II, 26. 2 Cor. IV, 4. 1 Paral. XXII, 1. Io. XIII, 2. (cui

De hominis lapsu et peccato. 107

(cui tamen fidelis quisque resistere potest, 1 Petr. V, 9. Iac. IV, 7.) mundi, Prou. I, 10. Matth. XVIII, 7. 1 Cor. XV, 33. Hebr. XII, 15. 2 Tim. II, 17. et malæ concupiscentiæ, quæ nobis inhæret, Gal. V, 16. seqq. Marc. VII, 21-23. Rom. VII, 7. Iac. I, 14. 15. existunt.

§. V.

Peccatum 1 Io. III, 4. dicitur *ἀνομία*, Peccatum aberratio a lege Dei, quam ille homini regum quid? iam et normam præscripsit, et qua sanctam, bonam et iustam voluntatem suam patefecit. Neque id tantum peccatum est, quod contra legem scriptam, sed etiam quod contra legem naturalem committitur, quam Deus iam per naturam in animo hominis inscripsit, et de qua post lapsum etiam aliquid superest, Rom. II, 12. 14-16. immo, *quidquid ex fide non est, peccatum est.* c. XIV, 23. Et quum Deus magistratibus, parentibus, doctoribus, heris, ceteris, in eo, quod vi officii sui præcipiunt, morem geri iusserit; iidem peccatum est, quidquid contra eorum præceptum vel interdictum (si modo id Deo non repugnet) committitur vel omittitur.

§. VI.

Peccatum duplex est: originale et Peccatum actuale. quoruplex?

§. VII.

Peccatum originale est, quod non imitatione demum et actione committitur, sed originale quod per naturalem generationem ab Adamo, quid? tam-

tam-

tamquam exitialis et spiritualis lepra, propagatum est, et nihil aliud est, quam horribilis illa naturæ nostræ, tam animæ, quam corporis, corruptio, qua maxime in rebus spiritualibus cæci et ad bonum inepti, ad malum vero proclives et agiles sumus. Dari istiusmodi peccatum, præter tristem experientiam satis clare docetur Iob. XIV, 4. Rom. V, 12. 21. Io. III, 6. Pl. LI, 7. Eph. II, 3, Gen. V, 1. 3. VI, 5. VIII, 21. Peccatum hoc est *uniuersale*, quo omnes in vniuersum homines, quotquot naturali modo concipiuntur, et in hanc eduntur lucem, infecti sunt et laborant; (quemadmodum ex allegatis dictis patet, vid. etiam Rom. III, 12. 23.) aduersus quod etiam regenitis, licet condonatum ac debilitatum sit, et magis magisque enecetur, perpetuo vigilandum et dimicandum est, Gal. V, 17. Rom. VI, 12. Variis nominibus in scripturis appellatur. Dicitur *κατ' ἐξοχήν* peccatum, Rom. V, 12. *peccatum inhabitans*, c. VII, 17. 20. *lex peccati*, c. VIII, 2. *corpus peccati*, c. VI, 6. *concupiscentia*, c. VII, 7. *peccatum tenax*, Hebr. XII, 1. *caro*, Gal. V, 16. 17. *vetus homo*, Eph. IV, 22. cet. *LV-THERVS* Postill. Eccles. in euangel. fest. Circumc. Tom. XIII. Lips. fol. 246. a. „*Hoc peccatum si non esset, non esset peccatum actuale. Hoc peccatum non committitur, sicut reliqua peccata omnia, sed est, sed uiuit, sed facit peccatum omne. Non peccat per horam*
aut

De hominis lapsu et peccato. 109

„aut temporis aliquod spatium, sed ubi, et
„quam diu persona est, ibi, et tam diu pecca-
„tum quoque est. - - Hoc naturale peccatum
„solum Deus spectat, hoc nulla lege, pena
„nulla arceri potest, etiamsi vel sexcenti orci
„essent; sed sola Dei gratia expurgandum est,
„quæ naturam emundat et renouat.“

§. VIII.

Ex hac venenata radice, peccato scilicet Peccatum
originali, tanquam furculi oriuntur peccata ^{actuale}
^{actualia}, quo nomine vocatur, quidquid quid?
mali homo contra Deum vel cogitando, vel
concupiscendo, vel loquendo, vel operando
admittit, Matth. V, 21. 22. XV, 19. vbi no-
tandum, peccatum etiam actuale esse, si bo-
num vel prorsus omittatur, vel non satis ala-
criter, sincere et constanter peragatur, Iac.
IV, 17. Luc. XII, 47. Matth. VII, 19. XXV, 42.

§. IX.

Præcipua peccatorum actualium diui- Peccata
sio est in peccata infirmitatis et peccata mali- ^{actualia}
^{actualia} seu proæretica. quor-
placia?

§. X.

Peccata infirmitatis vocantur, quæ fiunt Quænam
a regentis et fidelibus per ignorantiam vel peccata
præcipitantiam, adeoque sine pleno consensu infirmita-
et proposito. De huius generis peccato fer- tis vocan-
mo est Leuit. V, 2. Num. XV, 24. 27. Pf. tur?
XIX, 13. Luc. XII, 48. Gal. VI, 1. Characte-
res horum peccatorum sunt, si quis fidelis,
simulac ea animaduertit, de illis pudefactus
sub-

sub-

submisso animo doleat, et Iesu Christi sanguine confusus fidem obedientiamque renouet, ita ut ea denuo committere ne cupiat. Vocantur hæc peccata *venialia*, non, quasi per se non mereantur mortem, sed quia fidelibus propter Christum non imputantur, Rom. VIII, 1. Ceterum hac de re considerari merentur verba *LUTHERI* in Psalm. CXLIII. Tom. I. Alt. fol. 56. b. „*Valde periculosum est, (inquit) loqui de peccatis venialibus, si securitatem inde captas et falsam consolationem, eum timore Dei pugnantem et iudicium Dei clandestino contemnere docentem. Si enim, quandocumque otiosum verbum loquuti fuerint homines, reddituri sunt eius rationem in die iudicii; quis adeo temerarius et audax fuerit, ut peccata venialia formidare, fugere et deslere, atque ita ad Dei gratiam ac misericordiam submisso et serio adspirare nolit?* „

§. XI.

Per peccatum malitiæ quid intelligitur?

Peccatum malitiæ est, quando quis sciens ac volens, destinata opera et malitiose peccat, peccatoque dominium in se permittit: unde peccatum originale per istiusmodi peccatum actuale voluntarium regnare incipit, eamque ob causam *regnans* dicitur. De quo sermo est Num. XV, 30. Luc. XII, 17. Io. VIII, 34. 1 Io. III, 6. 8. 9. 2 Petr. III, 5. Ex eo autem cognoscitur, si homo peccato delectatur, ei consentit, moremque gerit in cupiditatibus illius.

De hominis lapsu et peccato. III

illius. Ista peccata proprie dicuntur *mortalia* seu mortifera, non solum, quia æternam mortem et condemnationem merentur; (quo respectu omnia peccata dici poterant *mortalia*;) sed quia homo ipso actu in spirituales incidit mortem, quippe quam peccatum parit, et talis peccator vitam æternam non habet in se manentem, 1 Io. III, 6. 8. 9. 14. 15. Rom. VIII, 13. Iac. I, 15. Ez. XVIII, 24. Peccatorum autem malitiæ aliud alio semper grauius est pro diuersa eius, qui peccat, Luc. XII, 47. Matth. X, 15. Io. XIX, 11. 2 Petr. II, 20. 21. vel in quem peccatur, 1 Sam. II, 25. 1 Tim. V, 8. Matth. XVIII, 6. conditione, vel etiam respectu temporis, Act. XVII, 30. Hebr. II, 1-3. aliarumue circumstantiarum peccati.

§. XII.

Summus gradus peccatorum malitiæ *Peccatum est peccatum in Spiritum sanctum*, consistens in malitiosa et pertinaci impugnatione, criminatione et repudiatione euangelii, virtutis et operationis Spiritus sancti, qua homo a Deo et Spiritus diuini operatione ita sese abstrahit, vt hoc ipso omnem aditum ad gratiam et conuersionem sibi præcludat, Matth. XII, 31. 32. Marc. III, 28. 29. Luc. XII, 10. vide etiam Hebr. VI, 4-8. X, 26-31. *LUTHERVS* serm. de pecc. in Spiritum sanctum, Tom. IV. Alt. fol. 542. a. „*Peccatum in Spiritum sanctum peccatum est, quod*
„*non*

Peccatum in Spiritum S. quid?

„*non*

„non videt nec potest intelligi: neque crimen
 „est aliquod externum et mundanum, sed
 „sanctum et spirituale, ideo quia confessionem
 „inuerit, nec peccatum, sed opus bonum et
 „splendidum vocari vult, nec reprehendi sed
 „laudari et prædicari cupit, cum quo sanctifi-
 „catis etiam prophetis maxime certandum et
 „dimicandum fuit.„ Item ibid. fol. 542. b. „In
 „Spiritu sancto peccare nihil est aliud,
 „quam opus et officium Spiritus sancti crimi-
 „nari, quod officium non Dei præceptum et
 „iuramentum, sed meram gratiam et veniam omnium
 „peccatorum adfert. Qui hoc admittere non
 „vult, non habet remissionem.„

§. XIII.

Peccata
 aliena
 quomodo
 fiunt no-
 stra?

Dantur etiam peccata, quæ proprie ab
 aliis committuntur, nostra autem fiunt par-
 ticipando, 1 Tim. V, 22. Eph. V, 7. 11. 2 Io.
 com. 11. vel iubendo, Matth. II, 16. vel sua-
 dendo, 2 Sam. XVI, 21. vel adfertiendo,
 Luc. XXIII, 51. vel approbando, Rom. I, 32.
 vel excusando et defendendo, 2 Petr. II, 19.
 vel negligendo facultatem impediendi,
 Ezech. III, 18. XXXIII, 6. 8. vel occultando,
 Leuit. XIX, 17. Matth. XVIII, 15 - 17. et
 modis aliis pluribus.

§. XIV.

Quænam
 pena pec-
 cati?

Pena peccati est mors, Gen. II, 17.
 Rom. V, 12. VI, 23. quæ quidem mors tri-
 plex est: (1) temporalis, ad quam omnes
 præuiæ calamitates atque ærumnæ mortalis
 vitæ

De hominis lapsu et peccato. 113

vita referendæ ; nec non execratio , quæ
 terram hominum culpa penetrauit, Gen. III,
 16. 19. Exod. XV, 26. vid. Rom. VIII, 20.
 (2) *spiritualis*, in iactura diuinæ gratiæ et
 spiritualium virium, ad boni rectique stu-
 dium necessariorum, et inde oriunda mala
 conscientia ac timore seruii posita, Rom.
 VIII, 13. Eph. II, 1. 1 Tim. V, 6. Cuius
 maior gradus est iudicium indurationis, (de
 quo supra §. IV.) quo magis magisque homo
 ineptus fit ad pœnitentiam, et peccatis, in quæ
 traditur, punitur, Ies. VI, 9. 10. 2 Cor. III, 14.
 Hebr. III, 12. 13, VI, 4. Ps. LXIX, 28. Sap. I, 5.
 (3) *æterna*, alias dicta *mors secunda et damna-*
tio, quæ est æterna priuatio diuinæ et cele-
 stis vitæ omnisque beatitatis, et sensus sempî-
 terni tam corporis quam animæ cruciatus,
 2 Thess. I, 9. Apoc. XX, 6. 14. Matth. XXV, 41.

§. XV.

Officium nostrum est, (1) causam pec- Quodnam
 cati non Deo optimo maximo, nec soli sa- secundum
 tanæ aliisue hominibus, sed præcipue nobis hanc do-
 ipsis nostræque peruersæ voluntati, adscri- trinam
 bere, Iac. I, 13. 14. Gen. III, 12. 13. Ps. LI, 7. officium
 (2) id, quod peccatum non est, in peccatis nostrum ?
 non ponere, Col. II, 16. 20. 21. 1 Tim. IV,
 2. 3. Matth. XII, 2. XV, 2. XXIII, 24. Io. V,
 10. nec id, quod peccatum est, rebus indif-
 ferentibus, vel ipsis adeo bonis et diuinitus
 mandatis operibus adnumerare, Ies. V, 20.
 Sap. II, 12. 16. coll. com. 6. 11. 2 Petr. II, 19.

H

(3)

(3) peccatum pœnitendo agnoscere et deplorare, ex eoque liberationem per Christum ita acceptare, vt, deposita omni propriæ iustitiæ iactatione, peccatorum veniam per fidem in nomen Iesu Christi quæramus, et virtute ipsius a peccatis nos ipsos magis magisque purgemus, Ies. LXIV, 6. 1 Io. I, 9. Eph. I, 7. 2 Cor. VII, 1. (4) non tantum peccata proæretica deponere, sed etiam contra peccata infirmitatis ita decertare, vt eorum nœui magis atque magis sanentur, 2 Cor. VII, 1. Hebr. XII, 1. (5) cauere, ne vel aliorum animos peccatis offendamus, nec peccatorum ipsorum vlllo modo participes nos faciamus. Vid. supra §. XIII.

§. XVI.

Quodnam
solatium
adversus
peccatum
suggerit
euange-
lium?

Solatium, quod contra peccatum patet, facit euangelium, in eo consistit, (1) quod Deus filium suum vnigenam constituerit, qui peccatum expiet, et serpenti illidat caput, illumque, quum plenum tempus aduenisset, eum in finem miserit, Gen. III, 15. 1 Io. III, 8. (2) Quod Christus peccata nostra eorumque pœnam ita in se susceperit, vt ea expiarit nosque Patri suo cœlesti reconciliarit, 2 Cor. V, 18-21. Rom. V, 6. sqq. 1 Io. III, 5. Dan. IX, 24. *LUTHERVS* Conc. in Io. XVI. Tom. VII. Alt. fol. 198. b. „Postquam Christus venit, peccatum Adami et totius generis humani (nimirum pristinam diffidentiam et inobedientiam) coram Deo perpeffione

De hominis lapsu et peccato. 115

„passione ac morte sua sustulit, novumque
„calum gratia et venia condidit, ut istud
„peccatum, ab Adamo per naturalem genera-
„tionem ad nos propagatum, non amplius
„sub ira diuina ac damnatione nos teneat,
„si modo in hunc seruatorem credamus.
„Nec in posterum, quisquis damnabitur, de
„Adamo congenitoque peccato conqueri pote-
„rit. Hoc enim semen mulieris (a Deo pro-
„missum, ut serpentis caput contereret,)
„iam venit, et pro isto peccato satisfecit
„damnationemque sustulit; sed de se ipso con-
„queratur, oportet, quod hunc Christum
„contritorem capitis serpentis peccatique de-
„structorem non acceperit, nec in ipsum
„crediderit., (3) Quod nobis ignoscantur
peccata per eius nomen. 1 Io. II, 1. 12.
Act. X, 43. Col. II, 13. (4) Quod virtute
mortis ac resurrectionis ipsius peccato do-
minari, ab eoque nos magis atque magis
purgare valeamus, Rom. VI, 9. seqq. 1 Io. I,
7. Hebr. IX, 14. (5) Quod tandem pecca-
tum omne per Christum in nobis prorsus
abolendum et Deus omnia in omnibus fu-
turus sit. vid. 1 Cor. XV, 28. 54-57.

ARTICVLVS TERTIVS DE LIBERO ARBITRIO HOMINIS,

H 2

SIVE

SIVE
DE
VIRIBVS HVMANI IN-
TELLECTVS ET VOLVNTA-
TIS POST LAPSVM.

§. I.

Cur de li-
bero arbi-
trio hoc
in articu-
lo agitur?

Quæ sit *liberi arbitrii* siue *virium hu-
mani intellectus et voluntatis* post la-
psum conditio, magnam quidem
partem ex iis, quæ in præcedenti articulo
de lapsu hominis et vniuersali et multiplici
vitiositate diximus, colligi potest; quum
autem hæc cognitio res tanti momenti sit,
quippe sine qua nemo de vlla parte, quæ
ad negotium conuersionis atinet, ex vero
iudicare, nec, quam necessarius sibi Chri-
stus sit eiusque officium, intelligere potest:
ideo in hoc articulo hac de re differendum
erit curatius. *LVTHERVS* de seruo arbitr.
Tom. II. Witteb. fol. 428. b. (Tom. III. Alt.
fol. 169. b.) „*Si ignorauero, quid, quatenus*
„*et quanta ego possim et faciam erga Deum,*
„*pariter incertum et ignotum mihi erit, quid,*
„*quatenus et quantum Deus in me possit et fa-*
„*ciat, quum Deus operetur omnia in omnibus.*„

§. II.

Per libe-
rum arbi-
trium
quid in-
telligitur?

Appellatio *liberi arbitrii* non tam ex
voce quam re capienda est, quæ per eam
denotatur, nimirum facultas intelligendi et
vo-

De libero arbitrio hominis. 117

volendi, quæ homo ea, quæ bona et quæ mala sunt, cognoscere; et, ut liber, illa eligere, hæc vero respuere potest. Quemadmodum igitur homini ante lapsum in rebus omnibus liberum arbitrium fuit, Sir. XV, 14-17. 2 Cor. III, 17. ita per lapsum corruptum et peccatis seruum factum est, nomen autem liberi arbitrii (ut *LUTHERVS* serm. de festo Petri et Pauli, Tom. I. Alt. fol. 272. a. loquitur) retinuit ideo, quia olim liberum fuit, et per gratiam rursus liberari potest, quæ sine seruum potius quam liberum arbitrium dicendum erat.

§. III.

Hanc virium humanarum conditionem Ad perspic-
ut eo melius perspiciamus, diligenter no-
tandum est *discrimen* earum rerum, in qui-
bus post lapsum sunt occupatæ: siquidem virium
aliter se habent in rebus naturalibus, exter-
nis, ciuilibus ac moralibus, aliter in spiri-
tualibus, hoc est, ad hominum conuersio-
nem et æternam salutem spectantibus. humana-
rum con-
ditionem
post la-
psum
quid no-
tandum?

§. IV.

In rebus naturalibus, externis, ciuili-
bus ac moralibus homini post lapsum non-
nullæ vires ex prima creatione residuæ sunt. In rebus
Etenim *intellectum* in se spectatum retinuit naturali-
homo, cuius beneficio ea, quæ cernit, co-
gnoscere, considerare, expendere, explora-
re, aliud ex alio colligere certo modo potest; bus, ciuili-
qua in re diuersi gradus dantur, ita, ut vires et mo-
homo alius alium superet. Sicuti sunt multi ralibus
quomodo
se habent
vires hu-
manæ?

viri docti, sapientes et prudentes, qui tamen Spiritum sanctum, quod ad plenas gratiæ operationes eius attinet, in se habitantem non habent, adeoque scientiam suam sola naturalis intellectus potentia sibi acquisierunt, Act. VII, 22. I Cor. I, 19. cet. Vnde in lapsis hominibus aliqua notitia reperitur diuinarum rerum, Rom. I, 18. 19. 20. boni et mali, legitimi et illegitimi c. II, 14. 15. (vid. Part. I. Art. Lp. 2.) nec minus prudentia in vita communi, quemadmodum videlicet res ciuiles et æconomicae constituendæ sint, in quibus sapissime sollertiores sunt homines huius sæculi, quam homines lucis; quod hi mentem suam potius in rebus æternis quam temporariis defigunt. Interim istarum etiam rerum intuitu, naturalis intellectus per primorum hominum lapsum admodum depravatus est, ita vt cognitio eius multa ignorantia et erroribus multis commista sit, Sir. XLIII, 36. (34.) XLII, 23. humana autem prudentia in negotiis externis sapius hallucinetur et stulte agat. Ies. XIX, 11-13. Ier. XLIX, 7. 8. Homo lapsus itidem *voluntatem* retinuit, quam eatenus *liberam* dixeris, quia in rebus temporariis et terrestribus aliquid velle vel nolle, eligere vel reiicere, vti liber, potest. I Cor. VII, 36. 37. Tali libertate naturalis etiam voluntas in externis actionibus prædita est, quæ ad cultum Dei pædagogiam quamdam subministrant, vti sunt e. g.

ver.

De libero arbitrio hominis. 119

verbum Dei audire, et legere, cum naturali delectatione ei attendere, cetera, Marc. VI, 20. item in studio vitæ ciuilitè honestæ; quemadmodum multa exempla Gentilium, Iudæorum, et eorum, qui Christiani audiunt, contestantur. Rom. II, 14. 15. IX, 31. X, 2. 3. Phil. III, 6. Verum nec ista voluntatis libertas in his rebus ex omni parte tam perfecta est, quin adfectuum violentia potentiaque satanæ sæpius ad id faciendum abripiatur, quod quis plenaria gaudens libertate non faceret.

§. V.

In rebus autem *mere spiritualibus* homo In rebus
ab natura nullas omnino vires habet, quia autem me-
ante conuersionem in morte spirituali sub
potestate satanæ captus et comprehensus te-
netur, Eph. II, 1. Col. II, 13. Act. XXVI, 18. *re spiri-
tualibus
quomo-
do?*
Intellectus hominis animalis obtenebratus,
mens vana et animus caliginosus est, Eph.
IV, 18. V, 8. 2 Cor. III, 14. 15. vnde talis
homo non capit, quæ sunt diuini Spiritus,
nec potest ea cognoscere, sed potius pro
stultitia habet, 1 Cor. II, 8. 9. 14. Quamuis
etiam verbum diuinum audiat et legat, non
potest tamen per se diuinas veritates salutariter
cognoscere, nisi Dominus mentem ei
aperiat, com. 10. Luc. XXIV, 25. 32. 45. Io.
III, 10. Act. XVI, 14. *LVTHERVS* Postill.
Eccles. Tom. XIII. Lips. fol. 379. a. „Regnum
„Dei, et quidquid in illo est, ideo vocatur my-
„sterium, quia spirituale occultumque est et

„manet, nisi Spiritus sanctus id patefaciat ;
 „licet enim multi sint, qui id videant et audi-
 „ant, non tamen percipiunt. Quam ob caus-
 sam scientia, mere naturali mentis sollertia
 et studio humano acquisita, etiamsi in se vera
 sit, et ex ipso verbo diuino hausta, in irre-
 genitis tamen vera et salutaris cognitio esse
 nequit. Io. XVI, 3. XVII, 25. vid. supra
 Part. I. Art. I. §. I. et Art. VII. §. X. Neque vo-
 luntas naturalis ullis viribus instructa est,
 quibus aliquid vere spirituale modo vere
 spirituali velle et perficere queat; quippe
 quod Deus pro sua beneuolentia prius effi-
 ciat, oportet, Phil. II, 13. Io. XV, 5. Bonum
 potius natura auersatur Gen. VI, 5. VIII, 21.
 et aduersus ipsum Deum inimicitiam gerit,
 Rom. VIII, 7. tenebras amat, Io. III, 19. et
 potestati satanæ et peccati subiacer, c. VIII, 34.
 Rom. VII, 14. VI, 16. 17. 20. *LEATHERVS*
de Seruo Arbitr. Tom. II. Witteb. fol. 434. a.
fin. (Tom. III. Alt. fol. 183.) „Homo quum
 „vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, ve-
 „lut raptus obtorto collo, nolens facit malum,
 „quemadmodum fur et latro nolens ad pœnam
 „ducitur, sed sponte et libenti voluntate facit.
 „Verum hanc libentiam seu voluntatem faciendi
 „non potest suis viribus omittere, coercere aut
 „mutare, sed pergit volendo et lubendo. Etiam si
 „ad extra cogatur aliquid facere per vim, tamen
 „voluntas intus manet auersa et indignatur
 „cogenti et resistenti. Ita reliquæ etiam ani-
 mæ

De libero arbitrio hominis. 121

mæ ac corporis vires deprauatæ sunt, vt per se ipsæ in rebus spiritualibus nihil boni valeant, sed semper potius ad malum procliuēs sint exsequendum. Vid. Rom. III, 10. 18. *LV THERVS* in Psalm LI. Tom. III. Witteb. fol. 451. b. fin. (Tom. VI. Alt. fol. 1271. a.)
 „Quia ipsum oculorum lumen, aures et alia
 „organa omnia conceperunt vitium ex peccato,
 „neque ita sunt sana et integra, sicut in Adamo
 „ante peccatum fuerunt. Hæc sensuum cor-
 „ruptio manifesta est, quid in spiritualibus
 „esse putas?“

§. VI

Ex hac virium humanarum depraua- Ex hac
 tione sequitur, (1) Gentilium aliorumque ho- virium
 minum, ad meliorem frugem nondum re- humana-
 ductorum, opera, licet virtutis speciem et rum de-
 nomen habeant, non esse vere bona, sed po- prauatio-
 tius mortua opera, Hebr. IX, 14. vt pote sine ne quid
 fide et Spiritu sancto in morte spirituali ef- sequitur?
 ffecta, Rom. XIV, 23. (2) homini post lapsum
 παλιγγενεσίαν, nouam natiuitatem, φωτι-
 σμὲν, illuminationem, et μετάνοιαν, veram
 mentis immutationem, seu cōuersionem,
 maxime necessariam, eamque non hominis,
 sed vere Dei opus esse, Io. III, 3. Ps. LI, 12. Jer.
 XXXI, 18. Ezech. XXXVI, 26. 27. Eph. II,
 8. 10. (3) hominem propriis viribus legem
 diuinam seruare, adeoque ex propriæ iusti-
 tiæ operibus iustificari, salutemue æternam

consequi non posse, Rom. III, 9. VIII, 3. 4.
Tit. III, 5. 7.

§. VII.

Quodnam
secundum
hanc do-
ctrinam
officium
nostrum?

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) Deo gratias agere, quod ex protoplastorum lapsu nonnullas vires naturæ humanæ superesse iusserit, ut homines, sibi relictæ et ductum rationis sequentes, Deum eiusque opera aliquo modo cognoscere et ipsum quærere, et alii erga alios ita, ut mutua ipsorum conditio postulat, gerere sese possint. (2) Probe nos explorare, an in tantum fideles fuerimus, in quantum per naturam potuimus, adeoque intellectum ac voluntatem tam bene, quam ex residuis viribus fieri licuit, applicauerimus. Vid. Luc. XVI, 10-12. Act. XVII, 27, Epist. Iud. com. 10. Rom. I, 19. seqq. (3) *Advocatus* vero nostram, præcipue in rebus spiritualibus, recte agnoscere, et omnem propriarum virium fiduciam abiicere, Io. XV, 4. 5. 2 Cor. III, 5. 6. (4) Cauere tamen, ne agnitione *advocatus* nostræ in rebus spiritualibus Christi et Spiritus ipsius virtutem, quæ impotentiae nostræ mederi potest, negemus, sed eam a cælesti Patre tanto ardentius ac constantius in vero pœnitentiæ ordine petere, Ps. CXIX. Sap. IX, 9. Marc. IX, 24. Eph. I, 17. 19. (5) Vbi ad resipiscentiam et fidem in Christum perducti sumus, id, quod bonum est in operibus nostris, soli Deo tribuere, ipsum-

De libero arbitrio hominis. 123

ipsumque hoc nomine celebrare; quidquid vero mali et impuri ex profunda labe nostra eis adhæret, nobis ipsis adscribere, et propterea submisso animo gratiam veniamque rogare, 1 Cor. XV, 10. 1 Paral. XXX, 10-14. Ps. XIX, 13. CXLIII, 2. Sir. XVIII, 6.

§. VIII.

Solatium est, (1) quod Deus tamquam Quodnam
amantissimus Pater hac ipsa miseria et im- solatium?
potentia nostra ad misericordiam commoveatur, Gen. VIII, 21. dummodo vocationis
sue ordinem ne prætermittamus. (2) Quod
per gratiam et virtutem suam in nobis efficere velir, quod naturalibus viribus efficere
ipsi non possumus, Ies. XLV, 24. 1 Cor. I, 30.
2 Petr. I, 3. (3) Quod omnes animi ac corporis vires per Christum, secundum Adamum, aliquando perfecte innouandæ, et
in prima sua, immo multo perfectiore, rectitudine instaurandæ sint, quemadmodum in primo Adamo fuerunt deprauatæ,
Apoc. XXI, 5. 1 Cor. XV, 28.

ARTICVLVS QVARTVS

DE

VOCATIONE.

§. I.

Postquam in tribus antegressis articulis Inter
hominem in duobus prioribus stati- hunc et
bus, *innocentiæ* videlicet et *peccati*, tres proxi-
specta- me ante-
cedentes

articulos spectauimus; sequitur iam, vt in *statu* repa-
 quam connexio? ratae per Christum *gratie* eum consideremus.

§. II.

Quot mo- In hac autem tractatione spectanda
 menta ge- sunt (1) *beneficia*, quibus Deus in hoc statu
 neratim homini sese manifestat, (2) *media salutis*,
 spectanda (3) *ordo*, ex parte hominum requisitus, et (4)
 sunt in *gratie participes*. Quum igitur ex diuinis
 tractatio- ne de sta- beneficiis, in hoc tertio statu considerandis,
 tu gratiae? primum sit *vocatio*, de hac ipsa in hoc ar-
 ticulo, ad sacrae scripturae ductum, bre-
 viter agendum erit.

§. III.

Cur ho- Beneficium vocationis homini *necessa-*
 mini hoc rium est propter profundam, in qua post
 benefici- lapsum haeret, *miseriam*. Etenim intellectu
 um neces- adeo occaecatus est, vt viam reparandae vnio-
 sarium? nis ac communionis cum Deo agnoscere non
 possit, Luc. I, 79. Rom. III, 17. voluntate au-
 tem a Deo per diffidentiam et odium ita est
 auersus, vt eum fugiat potius, quam qua-
 rat et cupiat; quemadmodum misera illa
 conditio in primorum hominum lapsorum
 exemplo, quasi in speculo, cernitur, Gen.
 III, 7. 8. 9. 10. Oritur autem hoc beneficium
 ex vniuersali et miserante *Dei amore*, quo
 motus omnes homines seruari vult, et ad
 veri cognitionem venire, 1 Tim. II, 4.

§. IV.

Vocans
 quis?

Igitur *Deus triumphans* est, qui homines
 lapsos ad se vocat amoremque illis suum de-

denuo adnunciandum curat. De *Patre* id speciatim adfirmatur 2 Tim. I, 9. de *Christo* Rom. I, 6. Luc. XV, 4. Prou. I, 20. seqq. quippe qui non solum, quum in terra versatus est, vocem suam suauissime inuitantem sapissime intendit; (vid. Matth. XI, 29. XXIII, 37. Io. VII, 37.) sed postea etiam per seruos suos, quos eum in finem mittit et instruit, id fecit et adhuc facit, Eph. IV, 11. Prou. IX, 1. seqq. 2 Cor. V, 20. In primis *Spiritus sanctus* in hoc negotio se manifestat, vnde in tertio Symboli Apostolorum articulo ipsi speciatim tribuitur. Vid. etiam Matt. X, 20.

§. V.

Quamuis autem Deus omnes in vni-Quibus
versum homines *immediate* vocare posset, mediis
sicut protoplastos post lapsum Gen. III, 7. Deus ad
Abrahamum, Act. VII, 2. seqq. aliosque vo-
cavit; placet tamen ipsi plerumque *mediate* vocatio-
nem uti-
tur?
hoc facere. Primum quidem ob vocationis
necessitatem homini post lapsum scintilla
quædam diuinæ cognitionis vnà cum con-
scientia huiusque suggestionibus relicta est,
Rom. I, 19. II, 15. Deinde hunc in finem
Deus vniuersam naturam et opera creationis
nobis proposuit, c. I, 20. Ps. XIX, 2. Eo
etiam spectant beneficia omnia corporalia et
externa, Rom. II, 4. Act. XIV, 17. XVII, 25-27.
diuina item iudicia et calamitates, Gen. XLII,
21. seqq. Leu. XXVI, 39. 40. Deut. XXX, 1.
Ies. LVII, 17. Luc. XV, 15-17. Apoc. XI, 13.
XVI,

XVI, 9. in primis morbi, Iob. XXXIII, 19. seqq. non minus bona aliorum exempla, 1 Petr. III, 1. Matth. V, 16. et cetera istiusmodi subsidia pædagogica, quibus Deus ad demonstrandam caritatem, sapientiam atque omnipotentiam suam hoc in negotio utitur. Vid. Iob. XXXIII, 17. 18. Matth. II, 3. XXVI, 75. Proprium autem et ordinarium medium vocationis est *verbum diuinum*, Rom. X, 14. Luc. XVI, 29. *legis*, Gal. III, 24. maxime vero *euangelii*, 2 Theff. II, 14. Rom. I, 16. ad quod publice prædicandum Deus *ministerium ecclesiasticum* instituit, (vid. supra §. I.) ita tamen, ut etiam alii, extra illud constitui, vi *sacerdotii spiritualis* debeant et possint virtutes eius, qui ipsos vocauit, decenti ratione inter se mutuo prædicare, 1 Petr. II, 9. Iac. V, 19. 20.

§. VI.

Quosnam
vocat
Deus ?

Quum Deus omnium hominum velit salutem, nemo autem per se ad eam venire possit; *vocatio eius vniuersalis* est, Pf. L, 1. Ies. XLV, 22. Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Luc. XXIV, 46. 47. 1 Tim. II, 4. 6. Mensura autem gratiæ, qua Deus homines vocat, non est erga omnes eadem, sed pro diuina ipsius æconomia et inexplicabili sapientia, reconditis etiam iudiciis, valde diuersa. Aliis enim copiosior, aliis parcior contingit; cuius tamen tanta, quanta ad consequendam salutem necessaria est et sufficit. Vnde ex illis, qui in tenebris manent, *excusationem*

nem

nem nemo habebit, Deut. IV, 7. 8. Pf. CXLVII, 19. 20. Matth. XI, 21-24. Act. XIV, 16. XVII, 30. (coll. Gen. XLIII, 34.) Rom. I, 20. Quanto autem largior gratia vocationis fuit, tanto grauiora iudicia malitiosum illius contemptum consequuntur. Prou. I, 24. Matth. X, 14. 15. XI, 21-24. XXIII, 37. 38. Luc. XII, 47. 48. Io. XV, 22. 24. Hebr. II, 1-4. Accidit etiam, vt nonnulli ob perseverantem repugnantiam vel defectionem peruersæ voluntati suæ a Deo, ad declarandam iustitiam suam, relinquuntur, et in iudicium indurationis tradantur: qua de re supra Part. II. Artic. II. §. IV.

§. VII.

Dignitas et præstantia diuinæ vocationis tam Dignitas
ex infelicitate elucet, ex qua summum Numen et præ-
homines euocat, Luc. XIX, 10. Eph. II, 11-13. stantia vo-
19. quam e bono, ad quod demonstrandum cationis
et percipiendum eos vocat et inuitat. Vocat vnde elu-
enim Deus ad resipiscenciam, Matth. IX, 13. cet?
ex tenebris in suam lucem mirabilem, 1 Petr.
II, 9. ad Filii sui Iesu Christi communionem,
1 Cor. I, 9. ad acquirendam gloriam Domini
nostri Iesu Christi, 2 Thess. II, 14. ad recrea-
tionem et requiem, Matth. XI, 28. 29. ad
sanctimoniam, 1 Thess. IV, 7. ad libertatem,
Gal. V, 13. ad pacem, Col. III, 15. ad bene-
dictionem, 1 Petr. III, 9. ad imitationem
Christi in perferendis æquo animo afflictio-
nibus, 1 Petr. II, 21. ad locupletem glorio-
samque

sanque hereditatem, destinatam sanctis, Eph. I, 18. ad regnum ac gloriam suam, 1 Thess. II, 12. ad æternam suam gloriam per Christum Iesum, 1 Petr. V, 10. ad palmam, Phil. III, 14. ad nuptiarum Agni cœnam, Apoc. XIX, 9. ad vitam sempiternam, 1 Tim. VI, 12. Ut summatim dicam, Deus (non aliter tamen, quam in ordine respicientiæ ac fidei,) vocat ex omni miseria, quam primi hominis defectio induxit, ad constantem et perpetuam omnis generis beatitatem, quam Christus, secundus Adam et Dominus de cælo, acquisiuit.

§. VIII.

De indole
et ratione
vocationis
quid no-
tandum?

De indole et *ratione* diuinæ vocationis notandum est: (1) Quod sit *seria*, siquidem Deus sincere vult, ut omnes ac singuli hac ipsa ad se trahi patiantur, Ies. LXV, 2. quæ sincera Dei voluntas in Christo perfecte sese manifestauit, Matth. XXIII, 37. Luc. XV, 3. seqq. XIX, 10. 41. Vnde in nobis etiam sincerum studium in alicum hominum salute procuranda per indefessum laborem, constantem tolerantiam, supplicemque interpellationem prodere sese debet, Gal. IV, 19. Col. I, 28. 29. II, 1. 1 Tim. II, 1. 2 Tim. II, 10. Rom. IX, 2. 3. X, 1. Apoc. II, 2. 3. (2) Quod *ex parte Dei* sit *efficax*, dum non tantum bona cœlestia vnâ cum ordine pœnitentiæ, fidei ac sanctificationis per vocationem suam nobis offert ac proponit, sed etiam ad

ac-

acceptanda ista bona et ad parendum ordini suo necessarias vires per verbum simul sufficit, Rom. I, 16. 2 Petr. I, 3. Vnde Christus eam vocat tractum Patris, Io. VI, 44. (3) Quod sit *resistibilis*, et homines culpa sua illius efficaciam infirmare possint atque excludere, Matth. XXIII, 37. Act. VII, 51. XIII, 46. Rom. X, 16. 1 Cor. I, 26. Gen. VI, 3. *LUTHERVS* in Io. I. Tom. VI. Alt. fol. 1137. b. „*Vita et lux* „*semper in mundo est, viuificat, lucet, splendet ac fulget perpetuo, nos ad nouam natiuitatem perducit, modo clarius lucet, modo obscurius, instituit homines, quomodo credere, et diuinam vitam viuere debeant, monstrat eis viam ad vitam et salutem sempiternam.* „*Quomodo autem accipitur? Nemo, aut certe pauci, eam curant cupiuntque, immo mundus eam videre, cognoscere, audire non vult, sed conuiciis appetit, eosque male tractat, per quos lucet.* „

§. IX.

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) illicienti spiritualium nostrum *officium nostrorum voci aures obstruere, contra ea voci Dei sine mora obsequi, Gal. V, 16. Eph. V, 6. Iac. IV, 7. Pl. XXXII, 9. Hebr. III, 7. quod-seqq. Prou. VI, 9. 10. (2) caelestem vocationem?* *nem sic dictæ seculari et terrestri vocationi longissime præferre, nec committere, vt hæc ab ista nos auocet, Luc. XIV, 17. 24. Matth. VI, 33. XXII, 5. (3) Patrem caelestem orare,*

I

VI

ut mentis nostræ oculos illustret, ut sciamus, quid sperandum sit nobis, ab eo vocatis, Eph. I, 17. 18. et (4) ita nos gerere, ut dignum est ista conditione, ad quam vocati sumus, et vocatum nostri, sanctimoniam studendo, crucemque Christi libenti animo suscipiendo, magis magisque ratum efficere, 2 Petr. I, 10. 1 Thess. II, 12. Eph. IV, 1. 1 Petr. I, 13-16.

§. X.

Solatium
quod-
nam?

Solatium est, (1) quod Deus incredibili amore homines complectatur, quandoquidem ipsos summe miseros et perditos ita querit, et ad tot bonorum perfruitionem inuitat, 2 Tim. I, 9. Tit. III, 3. 4. (2) quod vocatio ex parte Dei seria sit et efficax, et nos adeo sufficientem gratiam accipiamus, ut Deo vocanti parere et fideles manere valeamus, Phil. I, 6. vid. §. VII. (3) quod cum obedientia, diuinæ vocationi præstata, mera vita et pax coniuncta sit, Rom. VIII, 6. 13. (4) quod ex gratiæ vocationis acceptione eiusque durante operatione de æterna electione et huius et futuræ vitæ beatitudine certi esse possimus, Rom. VIII, 28. 30.

ARTICVLVS QVINTVS

DE

ILLVMINATIONE.

§. I.

Hic arti-
culus

Si quis diuinæ vocationi morem gerit, eius-

eiusque efficaciam ad veram pœnitentiam quomodo et conuersionem admittit, tum diuinæ etiam cum ante-
illuminationis, tamquam secundi beneficii, cedente
 quo Deus respectu status gratiæ se patefa- cohæret?
 cit, fit particeps; de qua potiora momen-
 ta in hoc articulo memoranda sunt. Vid. ex-
 plicatio articuli tertii Symboli Apostolorum.

§. II.

Illuminans, *Deus triunus est*, qui ipse *Illumi-*
 lumen est, nec vllæ in eo tenebræ sunt, 1 Io. nans
 I, 5. *Pater*, 1 Io. I, 17. 2 Cor. IV, 6. *Filius*, quis?
 qui hinc lux mundi et hominum vocatur,
 Io. I, 4. 5. 9. VIII, 12. IX, 5. XII, 46. Luc.
 II, 32. Act. XXVI, 23. Eph. V, 14. et *Spiri-*
tus sanctus, ideo dictus Spiritus scientiæ,
 sapientiæ et patefactionis, Eph. I, 18. Ies.
 XI, 2. 1 Cor. II, 10.

§. III.

Illuminationis autem, ob naturalem *Illumi-*
 ignorantiam et cæcitatem in rebus spiritua- nandi
 libus, ad quam excæcantis satanæ fraudes quinam?
 multæque præconceptæ opiniones accedunt,
 2 Cor. IV, 4. nec non ob rerum, ad salutem
 nostram cognoscendarum, (quas Apostolus
 σοφίαν ἐν μυστηρίῳ, *sapientiam latentem in*
mysterio, appellat 1 Cor. II, 6-16.) et residuo
 naturæ lumini haud comprehensibilem,
 sublimitatem, omnes omnino homines sunt
indigi, Eph. IV, 17. 18. Luc. I, 79. Deus
 etiam paratus est cuilibet tantum luminis
impertire, quantum ad consequendam salu-

tem opus ei est, 1 Tim. II, 4. Io. I, 5. 9. Eph. III, 9. Verumtamen luminis gratiæ haud vlli capaces sunt, nisi qui ad bonam frugem redeunt et ex spiritali morte peccatorum se patiuntur excitari, Eph. V, 14. 2 Cor. III, 14-16. 2 Tim. II, 25. Io. VII, 17. Pf. XXV, 4. Sap. I, 4. 5. Sir. IV, 19-21. Vnde plurimi, quia hunc ordinem ingredi nolunt, sed tenebras magis amant quam lucem, culpa sua luminis diuini cassi manent, Io. III, 19. Sap. V, 6.

§. IV.

Quodnam *Medium ordinarium* illuminationis est ordinari- *verbum diuinum*, quod homo debet legere, um medi- audire, meditari, et permittere, vt in animo um illu- suo inferatur, 2 Petr. I, 19. Pf. XIX, 8. 9. Iac. minatio- I, 21. et quidem tam *legis*, quæ splendore nis? iridem prædita est, dum officium nobis nostrum, peccatum et iram diuinam aduersus peccatum patefacit, 2 Cor. III, 7. 9. Rom. III, 20. VII, 7. 13. quam maxime *euangelii*, per quod Spiritus sanctus claritatem Dei in facie Iesu Christi patefacit, et ex quo proprie sic dicta illuminatio oritur, 2 Cor. IV, 4. 6. Et quum *doctoribus* et *ministis* ecclesiæ hoc ipsum adnuntiandi datum sit negotium, ideo et ipsis, tamquam *συνέργοις τῷ Θεῷ*, adiutoribus Dei, illuminatio sæpius tribuitur, Luc. I, 77. Act. XXVI, 18. 2 Cor. IV, 6. Eph. III, 9. Ex parte nostra huc tamquam ad ordinem spectant demissæ atque ardentes *preces*, vid. Pf. XXV, 4. 5. LXXXVI, 11. CXIX,

18. 34. 73. 135. Eph. I, 16. 17. 18. Col. I, 9.
 Sap. IX, 9. Iac. I, 5. Sir. LI, 26. 27. Luc. XI, 13.
 LUTHERVS Præfat. in part. I. libr. germ.
 Tom. I. Alt. fol. 6. „Primum scire te oportet, esse
 „sacram scripturam librum eiusmodi, qui sapien-
 „tiam reliquorum librorum omnium insatuet,
 „quia præter hunc unum solum haud ullus ali-
 „us de vita æterna exponit. Quapropter de
 „intelligentia sensuque tuo penitus desperare
 „debes; illo enim non adsequeris, sed ista poti-
 „us arrogantia te ipsum et alios tecum de cælo
 „(quod Lucifero accidit) ad ima usque tartara
 „præcipitabis. Positis autem in conclavi tuo
 „genibus submisso et feruenti animo Deo sup-
 „plica, ut per dilectum Filium suum tibi det
 „Spiritus sanctum, qui te illuminet et ducat,
 „intelligentiamque tibi largiatur, quemadmo-
 „dum Dauidem Psalm. CXIX. semper vides
 „precari: Doce me, Domine, erudi me, duc
 „me, institue me, cetera, quum tamen sermo-
 „nem Moysi aliosque libros plures bene haberet
 „cognitos, quotidie etiam audiret ac legeret.
 „Nihilominus ipsum verum sacrarum scriptu-
 „rarum doctorem expetit, ut ne ratione sua in-
 „teas inuolet, earumque magistrum sese agat.”

§. V.

Ipsa illuminatio in eo posita est, quod Spiritus sanctus in lumine suo per verbum diuini-
 tus sanctus in lumine suo per verbum diuini-
 num veritatem cælestem menti hominis tam-
 perspicue, tam efficaciter, tantaque cum con-
 uictione proponit aperitque intelligendam, ut
 Illumina-
 tio qua-
 nam in re
 posita?

homo eam tamquam veritatem cognoscat, adeoque sciat, quæ ipsi Deus largitus est, et spiritualia spiritualiter diiudicare possit, Pf. XXXVI, 10. 1 Io. V, 6. Io. VII, 17. XVII, 8. 1 Cor. II, 12. 13. Matth. XI, 27. XVI, 17. Vocatur alias *patefactio abditæ et latentis in mysterio sapientiæ, quæ fit per Spiritum sanctum*, 1 Cor. II, 7. 10. *φωτισμός*, splendor, quem Deus, qui lucem ex tenebris lucere iussit, nostris immittit animis, 2 Cor. IV, 6. *dies illucescens et lucifer exoricens in cordibus*, 2 Petr. I, 19. *apertio oculorum et animi*, Act. XVI, 14. XXVI, 18. *patefactio Christi in nobis*, Io. XIV, 21. (vbi per emphasin vocabuli *ἐμ. δεικνῶ* actus imperiendi interius aliquod et spirituale lumen denotatur,) quando scilicet spiritus veritatis nobis donatur, com. 16. 17. vt intelligamus, Christum esse in Patre et nos in ipso, et ipsum in nobis, com. 20. siue *glorificatio Christi* c. XVI, 14. *renouatio noui hominis in agnitionem congruentem imagini eius, qui ipsum condidit*, Col. III, 10. *lumen vitæ*, Io. VIII, 12. et aliis nominibus pluribus.

LVTHERVUS Post. Eccles. in euangel. dom. Misericord. Domini, Tom. XIII. Lips. fol. 568. b. „*Nos concionatores nihil amplius possumus, quam esse Domini nostri Iesu Christi nos et instrumentum, per quod verbum suum externa voce adnunciet. Verbum palam iubet pronuntiari, vt omnes audiant; at enim vero*

„ut intra animum id ipsum percipiatur, hoc
fides efficit, hoc occultum opus Christi est.,

§. VI.

Illuminatio certos admittit gradus, ita Illumina-
vt semper augeri et incrementa capere, et, tio anne
si homo in accepta gratia minus fidelem se certos
praestet, imminui et penitus cessare possit, gradus
lo. XVII, 26. Col. I, 9-11. Phil. I, 9. Eph. I, admittit?
17. 18. coll. com. 13. 2 Petr. III, 18. Rom.
XII, 2. (vid. Marc. VIII, 24. 25.) Rom. I, 18.
fq. quemadmodum etiam diuinum gratiae
lumen diuersa cum mensura impertiri solet,
vid. Matth. XXV, 15. fq. 1 Cor. XII, 11.
Eph. IV, 7. Act. XVIII, 24-26. Illuminatio
autem inde oriunda, dummodo vera est,
diuinam, veram et viuam cognitionem
parit, quam Christus vitam aeternam appel-
lat, lo. XVII, 3. Contra ea quidquid rerum
diuinarum extra illam solis rationis et natu-
rae viribus comprehenditur, emortua et ste-
rilis scientia est, qua fretus quisque perit,
grauissimam poenam aliquando subiturus,
Luc. XII, 47. Rom. II, 12. seqq.

§. VII.

Præcipui diuinæ illuminationis chara- Quinam
cteres sunt (1) vera amoris et misericordiae præcipui
diuinæ fruitio, et (2) inde fluens euangelica eius cha-
præceptorum Dei obseruantia, 1 Io. II, 3. 4. racteres?
Io. VIII, 12. 1 Petr. II, 9. in primis (3) verus
amor in Deum et alios homines, 1 Cor. VIII,
3. 1 Io. IV, 7. 8. (4) animus mundum nihili,

Christum autem maximi facies, Phil. III, 8. seqq. (5) transformatio in imaginem Christi ex gloria in gloriam, 2 Cor. III, 18. (6) divina simplicitas, Psalm. XIX, 8. Matth. XI, 25. (7) humilitas et paupertas spiritus, 1 Petr. V, 5. 1 Cor. II, 3. c. VIII, 1. 2. 2 Cor. XII, 7. sine qua vera illuminatio locum in homine habere nequit.

§. VIII.

Quod-
nam se-
cundum
hanc do-
ctrinam
officium
nostrum?

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) abnegata omni propria sapientia et intelligentia congenitam mentis nostrae cæcitatem submisit agnoscere, et a Deo illuminationem Spiritus sancti humillissime petere, Io. IX, 39. 41. Apoc. III, 17. 18. vid. supra §. IV. LVTHERVS præfat. in Postill. Eccles. 10. SPANGENBERGII Tom. VIII. Alt. fol. 45. a. „D. Paulus passim scribit, Christum Dominum nostrum esse mysterium, nec dubitat ecclesiam Ephesinam appellare mysterium. Id quidem olim, quum docteur theologie vocarer, pro simplice sermone habebam, quem probe intelligerem. Nunc autem ubi (Deo sit laus) iterum tiro in sacris scripturis factus sum, et semper minus minusque intelligo, ista verba mirabundus adspicere incipio, et ipsa experientia disco, omnino vocandum esse mysterium. Ut clara enim et perspicua (immo cum miraculis coniuncta) verba apostoli de eo facerent, tamen occultum manebat, et abditum summis et prudentissimis hominibus
in

„in orbe terrarum, uti Servator ait Matth.

„XI. *Hac sapientes peritosque celesti, cetera.*„

(2) Ad sermonem diuinum attendere, tamquam lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat et lucifer oriatur in animis nostris, 2 Petr. I, 19. (3) Agnitas in diuina luce veritates ad sanctæ vitæ studium in nobis finire esse efficaces ac fructuofas, et ita nos gerere, ut filios lucis decet, Io. VIII, 12. XVII, 17. Col. I, 9. 10. Eph. V, 8. 9. Matth. V, 15. 16.

§. IX.

Solatium est, (1) quod Deus nos in naturali mentis cæcitare non relinquere, sed *solatium?* lumine vitæ collustrare velit, si præscripto ordini nos adcommodemus; (2) quod beneficio istius luminis et cælestis vñctionis de salute nostra certi esse, nec non veritatem a mendacio distinguere, siue spiritus explorare possimus, 1 Io. II, 27. IV, 1. 2 Tim. I, 12. (3) quod Deus lucem suam in nobis augere velit, si acceptam fideliter colloceamus, Matth. XIII, 11. 12. XXV, 28. 29. 2 Petr. I, 8. Ies. LVIII, 6-8. (4) quod, quum hic aliquatenus tantum agnoscamus, illic Deum præsentem coram visuri, eumque, ut est, cognituri simus, 1 Cor. XIII, 12. 1 Io. III, 2. Vid. Apoc. XXI, 23. XXII, 4. 5.

ARTICVLVS SEXTVS

DE

REGENERATIONE.

§. I.

Quodnam est tertium beneficium, quod iam confiderandum sequitur? **T**ertium beneficium, quod ex supra facta diuisione iam confiderandum sequitur, *regeneratio* est, seu *noua creatio*, in diuina imagine, in voluntate hominis per diuinæ vitæ et spiritualium virium collationem instauranda, potissimum occurrat; sicut illuminationi maxime cum intellectu, ad salutarem Dei et Christi cognitionem per celestis et supernaturalis luminis accentionem renouando, res est: tamen si homo viriusque beneficii eodem tempore participes fit, et alterum altero comprehenditur.

§. II.

Regeneratio cur necessaria? *Necessitas* huius regenerationis fundatur partim in *profundissima* humanæ naturæ *corruptione*, quandoquidem ex ipsa naturali natiuitate peccatores et filii iræ adeoque ad omne bonum inepti sumus, Ps. LI, 7. 12. Io. III, 6. Eph. II, 3. partim in *diuina sanctitate* et *iustitia*, operibus externis et in speciem bonis non contenta, sed imaginem sui in intimo hominis corde requirente, cuius sine instauracione cum Deo communionem habere, eiusque regnum videre nemo potest. Rom. II, 28. 29. Io. III, 3. 5. 1 Io. I, 6. 7. Gal. VI, 15. *LVTHERVS* Postill. Eccles. Dom.

Tri-

Trinitatis, Tom. XIV. Lipf. fol. 24. a,
 „Christus heic de omnibus hominibus genera-
 „tim ait: Qui denuo natus non fuerit, ille non
 „potest diuinum regnum videre. Hoc est, homo
 „in veteri natura, quam habet, constitutus,
 „quantacunque valeat ratione, sapientia et
 „virtutibus præditus et excellens, non potest
 „tamen ex potestate peccati et mortis emergere,
 „vel Deo placere, quid? quod non potest perspi-
 „cere aut cognoscere, quo pacto possit in re-
 „gnum Dei intrare. Quamobrem heic alium
 „omnino hominem fieri, hoc est, totam perso-
 „nam immutari oportet, quæ nouum intelle-
 „ctum, cogitationes nouas, mentem et ani-
 „mum nouum habeat.

§. III.

Regenerans, seu causa principalis et Regenera-
 efficiens regenerationis siue nouæ creationis, tio vnde
 est Deus trinus, qui homines initio, et existit?
 quidem ad imaginem sui, condidit. Patri
 hoc beneficium pro singulari ipsius miseri-
 cordia et voluntate tribuitur, 1 Petr. I, 3.
 Tit. III, 5. Iac. I, 18. Iesu Christo, Domino
 nostro, qui gratiam regenerationis morte ac
 resurrectione sua non solum promeruit, sed
 eam etiam operatur, et propterea tamquam
 Adam secundus nobis proponitur, cuius na-
 ti, semen spirituale, caro et ossa ideo vocan-
 tur regeneriti, 1 Petr. I, 3. Rom. V, 15. seqq.
 1 Cor. XV, 45. Hebr. II, 13. Ies. VIII, 18.
 IX, 6. XLIII, 7. LIII, 10. Psalm. XXII, 31.
 CX,

CX, 3. Matth. XIII, 37. 38. Eph. V, 30. coll. Gen. II, 23. *Spiritui sancto*, et quidem in ea comparatione, vti (secundum Gen. I, 2. et Ps. CIV, 30.) in prima etiam creatione occupatus fuit; cui proinde hoc opus, quod ad officium ipse attinet, speciatim adscribitur, Tit. III, 5. Io. III, 6. 7. Ezech. XXXVI, 26. 27. 1 Sam. X, 6.

§. IV.

Quenam
media
regenera-
tionis?

Media, quibus Deus hoc in negotio vitur, sunt (1) *sanctum eius verbum*, Iac. I, 18. hinc viuum et incorruptibile semen dictum, 1 Petr. I, 23. 1 Io. III, 9. Luc. VIII, 5. II. animo implantandum, cum eoque, vt semen naturale cum terra, quasi commiscendum, hoc est, intime coniungendum, Hebr. IV, 2. Luc. VIII, 15. Iac. I, 18. Io. V, 38. VIII, 37. in specie *euangelium*, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. I, 16. quum contra *lex* vitam conferre non possit, sed hominem tam diuinæ sanctitatis et iustitiæ, quam corruptionis et *adversitates* suæ in spiritualibus patefactione occidat, et de viciositate sua ac nouæ natiuitatis necessitate conuincat, et hoc modo ad eam præpareret, Gal. III, 21. Rom. VIII, 3. (2) *baptismus*, Io. III, 5. coll. Gen. I, 2. hinc vocatus lauacrum renascentiæ Tit. III, 5. 6. et aquæ lotio per verbum, Eph. V, 26. vid. etiam 1 Petr. III, 21. Erquum *doctores* ac *ministri* ecclesiæ hæc media administrent, his quoque regeneratio (vti supra illuminatio) adscribitur, Gal. IV, 19.

I Cor.

1 Cor. IV, 15. Philem. com. 10. 2 Cor. III, 6.
 Vnde eorum, quos spiritualiter generant,
 patres, perinde atque hi eorum nati, sunt
 et vocantur, 1 Cor. IV, 14. 15. Philem. com.
 10. qua in re etiam mutuus eorum amor
 omnesque eius fructus et effectus nituntur.
LVTHERVUS in Comment. in Gal. Tom. V.
 Witteb. fol. 391. b. (Tom. VI. Alt. fol. 793. a.)
 „Apostoli, (ut etiam praeceptores; suo tamen
 „modo,) finguntur vice parentum. Et enim
 „hi formam corporis, ita illi formam animi
 „generant. -- Verbum procedit ex ore apostoli
 „seu ministri, et pertingit ad cor audientis.
 „Ibi Spiritus sanctus adest, et imprimit cordi
 „verbum, ut illi adsentiat. Hoc modo omnis
 „doctor pius est pater, qui per ministerium
 „verbi generat et format veram figuram
 „christiani animi.“

§. V.

De forma et indole regenerationis notan-
 dum: (1) quod rationi occulta sit et imperuia,
 Io. III, 8. 11. 12. 1 Cor. II, 14. Vnde homo
 nouus homo absconditus dicitur, 1 Petr. III, 4.
 Rom. II, 29. *LVTHERVUS* in Psalm. CX.
 Tom. VII. Alt. fol. 359. a. „Natiuitas filiorum
 „regni perinde se habet ac ros, qui vere nouo
 „singulis diebus summo mane cadit, neque ta-
 „men quispiam dicere potest, quomodo genere-
 „tur, vel vnde oriatur. Nihilominus tamen
 „quotidie matutino tempore in gramine haeret,
 „et tempus istud roris sub aurora longe ama-
 „rissimum

De forma
 et indole
 eius quid
 notan-
 dum?

„nissimum est. In summa, nihil eius conspici
 „vel ostendi potest, nisi quod cum aurora ante
 „ortum solem veniat. Atque ita aurora roris
 „mater vocatur, nec tamen videri potest, unde
 „exsistat, aut qua ex re efficiatur. Neque enim
 „pluuia est ex nubibus oriunda, quam deciden-
 „tem videre et sentire potes, sed opus Dei pro-
 „prium, quod ros ille quotidie primo diluculo
 „delabitur, et tamen tenuissima pluuia, aqua
 „ac liquor nobilissimus est, qui folia et gramina
 „totamque tellurem recreat, ut ne germina
 „diurno aestu marcescant., (2) Quod sit vera
 quaedam *natiuitas* (vid. Eph. IV, 21. Io. I, 13.)
 siquidem interna indoles ac natura hominis
 hac ipsa vere et efficaciter immutatur, in
 eaque aliquid spirituale ac supernaturale,
 quod antea haud adfuit, creatur et efficitur,
 quod Christus spiritum vocat, natum ex Spi-
 ritu, Io. III, 5.6. unde etiam *creatio* appellatur,
 Pf. LI, 12. De ea mutatione sermo est Ezech.
 XI, 19. XXXVI, 26. Ier. XXXI, 33. Hebr.
 VIII, 10. *LUTHERVS* Postill. Eccles. in Io.
 cap. I. Tom. XIII. Lipf. fol. 159. b. „Quando
 „lux illa, videlicet ratio, vetus illa *presum-*
 „tio, mortua, obtenebrata et in nouam lucem
 „commutata est, vniuersam etiam vitam et
 „omnes hominis vires eam sequi et immutari
 „necesse est. Quo enim vadit ratio, eo sequitur
 „voluntas, quo voluntas vadit, eo sequitur
 „amor et delectatio. Atque ita totum homi-
 „nem in euangelium se abdere ibique nouum
 fieri,

„fieri, et veterem cutem exuere oportet, vii
 „facit serpens. Illius enim cutis quum vetu-
 „statem induit, angustum foramen in rupe
 „querit, per illudque perfrumpens cutem ipsam
 „exiit et ante foramen relinquit. Ita homo
 „in euangelium et verbum Dei se conferre ipsius-
 „que promisso inherere debet plenus fiducia,
 „quod sibi non sit mentiturus: sic veterem cu-
 „tem deponit, foris relinquit lumen suum, præ-
 „suntionem suam, voluntatem suam, amorem
 „suum, sermocinationem suam, operationem
 „suam, atque prorsus alius et nouus homo eua-
 „dit, qui omnia aliter intuetur, atque antea,
 „aliter explorat, aliter iudicat, aliter sentit,
 „aliter vult, aliter loquitur, aliter amat,
 „aliter concupiscit, aliter operatur et agit at-
 „que olim. Omnes deinde ordines et opera
 „omnium mortalium pernoscere potest, vtrum
 „recte fiant, an secus; quemadmodum Paulus
 „I Cor. II, 15. ait: Spiritualis explorat omnia,
 „nec ipse a quopiam exploratur... (3) Quod
 gratia regenerationis amitti possit et recupe-
 rari, Gal. IV, 19. V, 4. Quænam eorum, qui
 peccatum in Spiritum sanctum committunt,
 sit conditio, supra Part. II. Artic. II. §. XII.
 indicauimus.

§. VI.

Id, quod per regenerationem efficitur et In regene-
 creatur, dicitur nouus homo, Eph. IV, 24. ratione
 noua res condita, 2 Cor. V, 17. nouitas spiritus, quid effi-
 Rom. VII, 6. diuina natura, 2 Petr. I, 4. spiritus, citur?
 Io.

Io.

Io. II, 6. *mens Christi*, 1 Cor. II, 16. *forma Christi*, Gal. IV, 19. *mentis occultus homo*, 1 Petr. III, 4. *vita diuina et cum Christo latens apud Deum*, Eph. IV, 18. Col. III, 3. *bonum animi promptuarium*, Matth. XII, 35. *arbor bona*, com. 33. *cerera*. Hæc autem omnia vitiosæ ac corruptæ indoli, quæ ex defectione Adæ et naturali generatione in nobis existit, opposita sunt, et nouam ac spiritualem animi indolem indicant, in nobis augendam et magis magisque corroborandam; id quod ad *renouationem* (quam Artic. IX. consideraturi sumus) spectat.

§. VII.

Quinam
præcipui
characte-
res rege-
neratio-
nis?

Præcipui *characteres* et *notæ* regenerationis sunt (1) viuæ benignitatis et humanitatis Dei ac Christi cognitio, Tit. III, 4. 1 Petr. II, 3. (2) Spiritus adoptionis, qui clamat Abba, Pater, Rom. VIII, 15. 16. Gal. IV, 6. coll. Marc. XIV, 36. Gen. XXII, 7. (3) amor erga Deum, filios Dei, et homines vniuersos, Io. VIII, 42. 1 Io. IV, 7. 8. V, 1. 2. Matth. V, 44. 45. (4) obtemperatio diuinis præceptis, spiritu incedendi et iusta faciendi studio sese prodens, Ezech. XXXVI, 27. Gal. V, 25. 1 Io. II, 29. III, 9. 10. (5) quotidiana extitio veteris hominis et inquisitio noui, Eph. IV, 20-24. (6) serium certamen aduersus peccatum, mundum et diabolum, et victoria de istis hostibus spiritualibus, 1 Io. V, 4. 18. (7) amor et tolerantia crucis, Hebr.

XII,

XII, 5-10. in quibus omnibus vnusquisque diligenter se examinare debet, 2 Cor. XIII, 5.

§. VIII.

Officium regnitorum est, (1) Deum ac Quod Patrem Iesu Christi, Domini nostri, pro nam re- magna misericordia, quam ipsis per benefi- genito- cium nouæ natiuitatis tribuit, continenter rum offi- laudare et celebrare, 1 Petr. I, 3. (2) acceptas cium? in regeneratione vitæ spiritualis vires custo- dire, iisque ad quotidianam sanctificationem et renouationem spiritus fideliter uti, 2 Cor. VI, 1. Eph. IV, 23. 24. fqq. 1 Petr. I, 14. 15. 2 Petr. I, 3. fqq. Gal. V, 25. Pl. I, 3. (3) instar recens natorum infantium rationale et alienum a fraude lac appetere, vt eo grande- scant ad salutem et ex pueris iuuenes ac viri adulti euadant, 1 Petr. II, 2. Eph. IV, 13. 14. (4) Deo, Patri suo, animo spontaneo et filiali seruire, diuinamque eius indolem, cuius in regeneratione participes facti sunt, sinceram caritatem, misericordiam, patientiam et humanitatem demonstrando referre, et generatim naturæ, dignitati et præstantiæ diuinæ huius natiuitatis congruenter conuenienterque viuere, Matth. V, 45. Luc. VI, 36. Eph. IV, 32. V, 1. 2. Col. III, 12. 13. Vid. Io. VIII, 39. 44.

§. IX.

Solatium, quod fideles ex regeneratione Quod habent, est, (1) quod per eam facti sint filii nam so- Dei, et Deus triunus eorum factus sit Pater, latium

a quo nihil non paterni amoris, miserationis, indulgentiæ, curæ et solatii certo sibi promittere possint, 1 Io. III, 1. (2) quod hinc etiam ius cælestis hereditatis adepti sint, eamque a Patre suo cum plena fiducia sperare et expectare ipsis liceat, 1 Petr. I, 3. 4. Tit. III, 5-7. Rom. VIII, 17. (3) quod per eam ipsam præ omnibus, quæ in hoc mundo excelsa sunt atque magnifica, a Deo nobilitati et euecti, diuinum genus facti, et in omnium filiorum Dei, qui in cælo terraque degunt, communionem translati sint, Iac. I, 18. Io. I, 12. 13. 1 Io. III, 1. 1 Cor. I, 30. Hebr. XII, 22. 23. (4) quod in renouata vita, quum sedebit homine natus in suo glorioso tribunali, reliqua vetera prorsus præteritura et omnia noua futura sint, ipsorum etiam adoptio, mundo heic occulta, patefacienda sit. Matth. XIX, 28. Apoc. XXI, 1. 5. 2 Petr. III, 13. 1 Io. III, 1. 2. Rom. VIII, 23. Sap. II, 13. V, 5.

ARTICVLVS SEPTIMVS

DE

IVSTIFICATIONE.

§. I.

Quodnam
quantum
benefici-
um status
gratiæ?

Quartum beneficium status gratiæ est *iustificatio*, de qua in hoc articulo agendum est.

§. II.

Num
multum
interest

Quantum ad veram eius intelligentiam intersit, inter alios *LVTHERVVS* Comment. in Gal.

Gal. c. II. Tom. V. Witteb. fol. 301. b. (Tom. ad veram
VI. Alt. fol. 586. a.) declarat: *Quid est*, in huius
quiens, „*Petrus, Paulus? Quid angelus de calo?* articuli
„*Quid vniuersa creatura ad articulum iustifi-* intelli-
„*cationis? Eo enim cognito, in clarissima luce;* gentiam?
„*ignorato, in densissima caligine versamur.*”

§. III.

De vocabulo *iustificationis* seu *iustificare* De voca-
notandum est, quod per id ipsum nonnum bulo iusti-
quam totum opus regenerationis et converfi- ficationis
onis, quatenus sanctificationem simul com- seu iusti-
plectitur, 1 Cor. VI, 11. vel etiam patefactio ficare
et declaratio agnitæ iustitiæ hominis alicu- quid no-
ius ceram aliis mortalibus, intelligatur; Iac. tandum?
I, 21. 25. in hoc autem articulo in illisque
scripturæ locis, in quibus proprie de recon-
ciliatione hominis peccatoris cum Deo ser-
mo est, nihil aliud significetur, quam actus
quidam *iudicialis*, quum videlicet Deus ho-
mini in iudicio suo peccata remittit, eumque
iustum reputat et declarat. Qui vocabuli isti-
us significatus cognoscitur partim ex *com-*
muni eius *usu* in rebus sæcularibus et ciuili-
bus, Deut. XXV, 1. 2 Sam. XV, 4. Ies. V, 23.
partim ex *oppositis*, (vbi nimirum *κατάκριμα*,
damnatio, Rom. V, 16. 18. VIII, 33. 34.
κατάρα, execratio, Gal. III, 10. et *βδέ-*
λυμα, abominatio, Luc. XVI, 15. ei oppo-
nitur,) partim ex *phrasibus et periphrasibus*
æquipollentibus, quando e. g. remissio pecca-
torum, Col. I, 14. Act. II, 38. delictio pec-

catorum', c. III, 19. obductio et non imputatio peccatorum, Pf. XXXII, 1. 2. condonatio delictorum, Col. II, 13. redemptio per sanguinem Christi, c. I, 14. imputatio iustitiæ, Rom. IV, 8. 9. aliisque modis pluribus nominatur; generatim autem ex consideratione conditionis hominis lapsi et diuinæ iustitiæ demonstrari potest. Vid. Rom. III. IV. tot.

§. IV.

Iustificans
quis?

Iustificans, siue is, a quo iustificatio sensu indicato fit, *Deus triunus* est, Pf. XXXII, 1. 2. CXXX, 4. in specie *Pater*, Rom. VIII, 33. *Filius*, Ies. LIII, 11. Rom. V, 19. vid. etiam Luc. VII, 47-49. Marth. IX, 6. & *Spiritus sanctus*, 1 Cor. VI, 11. vti diuina beneficia generatim tribus diuinitatis personis communia sunt.

§. V.

Quænam
causæ iu-
stificatio-
nis?

Causæ iustificationis sunt *ex parte Dei* (1) ipsius *gratia*, Rom. III, 24. Eph. II, 5. 8. 9. per quam hoc loco non intelligenda est collatio virtutis alicuius sanctificantis, vt Rom. XII, 6. et 1 Cor. XV, 10. sed *ἐλεος*, vera et intima ipsius misericordia (*σπλαγχνία ἐλεός*) Luc. I, 78. merito operum opposita, Tit. III, 4. 5. coll. Deut. IX, 4-7. quemadmodum ex diligenti horum et plurium locorum scripturæ consideratione liquet, Rom. IV, 4. V, 2. 15. 16. 17. VI, 1. Tit. III, 5. 7. Eph. II, 8. vide etiam Hebr. II, 9. (2) *meritum* et *satisfactio* Domini nostri Iesu Christi, quippe quem

quem Pater pro gratuita sua bonitate mediator nobis dedit, et qui perfecta obedientia sua, quam legem implendo et peccata nostra eorumque pœnas in se suscipiendo præstitit, omnem gratiam, quæ hoc in beneficio nobis obtingit, acquisiuit, Rom. III, 24. 25. V, 18. 19. 2 Cor. V, 21. vid. supra Part. I. Artic. VI. c. II. §. XVII. Hinc vocatur *ἱλαστήριον*, placamentum, l. c. iustitia nostra, Jer. XXIII, 6. 1 Cor. I, 30. *Ex parte hominum* causa iustificationis est *fides*, (quæ vero non hominis, sed Dei opus in homine est, Eph. I, 19. II, 8. Io. VI, 29.) quatenus Christo innititur, eumque apprehendit et accipit, Rom. III, 22. 25. 26. IV, 5. V, 1. X, 3. 4. Gal. II, 16. Eph. II, 8. Phil. III, 9. quo ipso omne propriæ iustitiæ et operum meritum penitus excluditur. Vide citata loca. *LUTHERVS* Comment. in Gal. c. II. Tom. V. Witteb. fol. 308. b. (Tom. VI. Alt. fol. 602. b.) „*Fides apprehendit Christum, et habet eum præsentem, inclusumque tenet, et annulus gemmam. Et qui fuerit inuentus hac fiducia apprehensi Christi in corde, illum reputat Deus iustum.*„ Ibid. fol. 371. a. (Alt. fol. 750.) „*Fides est pertinacissimus intuitus, qui nihil adspicit, præter Christum, victorem peccati et mortis et largitorem iustitiæ salutis et vitæ æternæ.*„

§. VI.

Huius iustificationis, propter vniuersalem Num
 K 3 lem omnes ha

mines iu-
stificatio-
nis indi-
gi?

lem humanæ naturæ vitiositatem eique ad-
hærentem iram Dei, *omnes omnino mortales*
indigi sunt, Rom. III, 9. seqq. 19. 23. nulli
autem alii eius *re ipsa participes* fiunt, quam
qui in vera pœnitentia peccato moriuntur,
eiusque veniam in sanguine Christi, abnega-
ta omni propria dignitate et iustitia, per
fidem quærunt et accipiunt, Ies. I, 16. 18.
Luc. XV, 21. XVIII, 13. 14. XXIV, 47. Rom.
IV, 5. Ps. LI, 2. seqq. *LUTHERVS* in Psalm. II.
pœnitential. h. e. XXXII. Tom. I. Alt. fol. 29. b.
„Beatus homo, cui non imputat Iehoua culpam;
„hoc est, non beatus, sed infelix et miser est,
„qui ipse sibi peccatum non imputat, qui sibi
„ipse placet, qui bonus sibi videtur, qui con-
„scientiæ remorsum non sentit, qui innocentem
„se existimat, in eoque nititur et confidit, quum
„tamen ipse Apostolus scribat: Nullius rei mihi
„consciens sum, sed non per hoc iustificatus sum;
„quasi dicat: Sed is beatus est, cui Deus non
„imputat peccatum, cuius de peccato Deus ni-
„hil scit. Hi sunt, qui ipsi sibi varia semper
„peccata et vitia imputant., *IDEM* in Psalm.
pœnitential. VI. h. e. CXXX. l. c. fol. 51. b., *Id-*
„circo in nos ipsos non debemus esse misericor-
„des, sed seueri et iracundi, vt Deus in nos sit
„misericors, nec iracundus. Qui enim sibi ipse
„propitius, ei Deus iratus est, et qui sibi ipse
„iratus, ei Deus propitius est.,

§. VII.

Iustifica-
tio ipsa

Iustificatio igitur ipsa, siue forma eius,
i.

in eo consistit, quod Deus homini vere pœ- in quo
nitenti et credenti Iesu Christi filii sui iustitiam consistit?
donat et imputat, et propter eam peccata illi
sua eorumque pœnam condonat. Rom. IV, 5 - 8.
19. Pf. XXXII, 1. 2. coll. Zach. III, 4. 5. Ies.
VI, 7. LXI, 10. seqq. Luc. VII, 41. seqq.
XV, 22. Io. III, 16. Vid. supra §. III.

§. VIII.

Finis iustificationis per fidem ex parte Dei est gloria, siue demonstratio sanctitatis, iustificatio-
iustitiæ et misericordiæ eius in hoc opere, nis quis?
Rom. III, 4. 19. 26. 27. Eph. I, 5. 6. I Cor. I,
30. 31. Matth. XIX, 17. *ex parte autem ho-*
minis salus æterna, Rom. IV, 7. et, quod ad
hanc vitam attinet, vt homo, ex tenebrarum
potestate vindicatus, ad persequendam vltè-
rius sanctimoniam et participandam sancto-
rum sortem in luce idoneus reddatur, Rom.
VI, 22. Tit. II, 11. 12.

§. IX.

Fructus iustificationis sunt, (1) liberatio a Fructus
dominio malæ conscientiae et timoris serui- iustifica-
lis, Hebr. X, 22. coll. Gen. III, 7. 8. 10. (2) pax tionis quis
cum Deo, Rom. V, 1. Matth. XI, 29. coll. nam?
Pf. XXXVIII, 4. (3) gaudium in Spiritu san-
cto, Rom. XIV, 17. Ies. LXI, 10. (4) adoprio,
Eph. I, 5. Io. I, 12. Gal. IV, 5. (5) donatio
Spiritus sancti, Gal. IV, 6. (6) sanctificatio
siue renouatio, Rom. VI, 22. et (7) spes fu-
turæ gloriæ et vitæ sempiternæ, Rom. V, 2.
VIII, 17. 23 - 25. Gal. IV, 7.

§. X.

Abusus
huius do-
ctrinæ
quis?

Abusus huius doctrinæ, quod Deus hominem sine ullo suo merito per fidem propter Christum iustificet, est, (1) si quis illam diuino pœnitentiæ et regenerationis ordini opponit, eumque adeo minus necessarium esse iudicat, et in peccati seruitute perseverans ob Christi meritum iustum se esse opinatur. *LVTHERVS* Institut. Visitator. ad parochos, Tom. VII. Alt. fol. 11. a. „*Quare, si de fide coram concione verba facimus, semper populus erudiendus est, ubi fides esse possit, et quomodo ad eam perueniatur. Vera enim fides esse nequit, ubi non est vera pœnitentia, verus timor et metus Dei.*“ (2) Si quis mere historicam notitiam de Christo illiusque merito, humanum adfensum et carnalem fiduciam, quam de gratia Dei, mentem gerens securam et respiscere nesciam, habet, pro fide iustificante ducit, quæ potentia et effectus Dei et diuini Spiritus in nobis esse debebat. Eph. I, 19. 20. *LVTHERVS* ibid. „*Iam supra ostendimus, necesse esse prædicari respiscentiam et argui infructuosam mundi opera, ex minus recte intellecta fidei doctrina magnam partem oriunda. Multi enim, quum audiuerunt, Christo fidem se habere oportere, et peccata omnia sibi remitti, fidem sibi fingunt, et puros se esse opinantur, quo ipso proterui sunt et securi. Ista securitas peior est omnibus superiorum temporum*“

„*er-*“

„erroribus., Ibid. fol. 12. a. „*Penitentia sine fide est penitentia Iudæ et Saulis, hoc est, desperatio; sicut fides sine penitentia arrogantia et carnalis securitas est. Et in Io. VI. Tom. V. Alt. fol. 679. a. „Multi quoque inter nos adhuc sunt, qui, si de Christo cogitent, quæ passus sit, sibi persuadent, esse in se Christum, nec fidem in Christum pro opere vere spirituali Christi in nobis habent, nec curant se esse in Christo, sed somniant, fidem historicam dare vitam æternam, si erroneas quasdam et vagas cogitationes de Christo animo versant.,* (3) Si quis crassiore vel subtiliore modo in peccatis manet, nec sanctimonie operam dat, ut gratia eo magis excellat, contra quem abusum D. Paulus integro capite sexto epistolæ ad Romanos militat. Vid. etiam Gal. II, 17. V, 13. Epist. Iud. com. 4. Iac. II, 14. seqq. Hebr. X, 29. **LUTHERVS** Postill. Eccles. in euangel. Dom. XI. post Trinitat. Tom. XIV. Lipsf. fol. 233. b. „*Hinc est, quod Lucas et Iacobus tot verba faciunt de operibus, ut ne quis dicere sustineat: Age nunc, ego credam; atque ita sibi otiosam cogitationem fingat, quæ cordi tantum innatet, sicut spuma cereuisiæ. Nequaquam. Fides res viuax et potens est, quæ prorsus nouum hominem facit, et aliam mentem fingit, ipsumque transformat per omnia, penetrat in inum cordis fundum; atque ita efficitur ibi totius hominis renouatio. Ita, quando antea vidi*

„peccatorem, iam ex alia ipsius conuersatione,
 „alia vita, et moribus aliis intelligo, eum cre-
 „dere. Tam sublimis res est fides, et tantopere
 „Spiritus sanctus urget opera, ut de fide testen-
 „tur. In quibus igitur non conspiciuntur ope-
 „ra, de illis facile possumus concludere, quod
 „verbum quidem de fide audierint, hoc autem
 „non perfecerit ad ima. Si enim in fastu, auaritia
 „et iracundia manere vis, et nihilominus
 „multa garrere de fide, D. Paulus aderit, et :
 „Audi queso, inquiet, regnum Dei non in ver-
 „bis situm est, sed in potentia et vita ; faciendo,
 „non garriendo hanc rem expedias oportet.”
 (4) Si quis hinc præmii gratuiti promissionem,
 bonorum operum studio datam, rescindit,
 Deoque frustra seruii statuit, Mal. III, 13. 14. 15.
 quod omnibus et singulis diligenter cauendum est.
 LVTHERVS Instit. Visitator. ad parochos Tom. VII. Alt. fol. 6. a.
 „Multi sine ratione clamant, bona opera nihil
 „mereri. Satiùs erat, homines ad facienda
 „bona opera compellere, et mittere litigiosas
 „illas disputationes. Recte enim docetur, Deum
 „bona nobis dare propter promissionem suam,
 „non propter opera nostra. Nihilò tamen secius
 „bona opera, quæ Deus præcepit, fieri debent.”

§. XI.

Quodnam iustificatum
 iustificatum officium? Officium iustificatum est, (1) Deum
 laudare, quod ipsis hanc viam recentem at-
 que viam, qua per fidem in Iesu sanguine
 iustificantur, in verbo suo patefecerit, eam-
 que,

quæ, traditio ibus humanis antea peruersam, per *LV THERVM* inst urarit. (2) gratiam diuinam, qua iustificati sunt, non repudiare, sed fide custodire, adeoque in *solo Domino*, Christo eiusque iustitia gloriari, Gal. II, 21. 1 Cor. I, 29 - 31. Phil. III, 3. (3) cælestis Patris exemplo alteri delicta sua libenter condonare, quemadmodum Deus ipsis in Christo condonauit, Eph. IV, 32. Matth. XVIII, 23. sqq. 1 Io. IV, 11. (4) fructum suum percipere ad sanctitatem, Rom. VI, 22. eoque contendere, ut in via veræ sanctimonie gratiam iustificationis magis magisque in se firment stabiliantque, 2 Cor. VI, 1. VII, 1.

§. XII.

Solatium est, (1) quod fideles de sui iustificatione certi esse possint, utpote quæ non in ipsorum dignitate aut operum merito, sed Iesu mediatoris dignitate fundata est, saluo tamen pœnitentiæ ac fidei ordine, Ps. XXXII, 5. Vide supra §. V. VII. (2) quod beneficio huius iustificationis non solum sempiternam et perfectam peccatorum veniam et liberationem pœnæ, sed diuinam etiam et omnium rerum creatarum iustitia longe excellentiorem iustitiam consequuti in eaque Deo accepti redditi sint, Eph. I, 6. Iac. II, 23. (3) Quod pacem habeant cum Deo, adeoque ipsos lædere, aut in foro diuino accusare et damnare nemo possit, Rom. V, 1. VIII, 31. 33. 34. (4) quod ipsis contra adhærescentes sibi

Quodnam
eorum
solatium?
næ-

nēuos ad gratiam, in qua stant, in Iesu sanguine per fidem liber aditus pateat, Rom. V, 2. Eph. II, 18. Hebr. IV, 16. X, 19. 22. (5) quod multo magis futurum sit, ut Christi sanguine ac morte nunc iustificati Deoque reconciliari, per ipsum ab ira defendantur, seruenturque per eius vitam, Rom. V, 9. 10. (6) quod non solum iam hoc tempore de futura gloria, sed de Deo etiam gloriari possint per Iesum Christum, per quem (viv) nunc reconciliationem sunt adsequuti, Rom. V, 11.

ARTICVLVS OCTAVVS

DE

VNIONE SPIRITVALI
SEV MYSTICA CVM DEO.

§. I.

Quodnam quintum beneficium status gratiae? **Q**uintum beneficium status gratiae est *vnio spiritualis seu mystica cum Deo*, quae in animo per fidem incipit, simul ac locum habet iustificatio: siquidem Deus cum eo, quem iustificat, se etiam vnit, in eoque habitare vult; adeo, ut nemo iustificetur, in quo se non prodant huius spiritualis vnionis et inde oriundae communionis initia, tamen ipsa iustificatio hac in re haud sita, sed peculiaris diuina actio est, vnio autem cum Deo per quotidianam demum renouationem sensim conficitur.

§. II.

De vnione spiritali cum Deo. 157

§. II.

In statu innocentiae homo concreatae di-Num ho-
uinæ imaginis beneficio cum Deo arctissime mo iam
vnitus erat, Prou. VIII, 31. per peccatum ve-natura
ro non solum *separatio* et disiunctio Dei vnitus est
hominis facta (vid. Ies. LIX, 2. I Io. I, 6. Eph. cum Deo?
II, 12. 13. IV, 18. conf. Gen. III, 24.) sed
etiam infelix coniunctio et communio cum
satana introducta est, Eph. II, 2. qua durante,
homo in vnionem et communionem cum
Deo restitui non potest, 2 Cor. VI, 14-16.
1 Cor. X, 20. 21.

§. III.

Hæc spiritalis vnio cum Deo primum Funda-
mentum habet in *vnione personali* diui-mentum
næ et humanæ naturæ in Christo, Col. II, 9. 10. spiritalis
Io. I, 14. adumbrata Exod. XL, 34. 35. 1 Reg. vnionis
VIII, 10. 11. (qua de re supra Part. I. Art. VI. quod-
cap. I. §. VII.) adeoque ab ea distinguenda: nam?
proxime autem fundatur in fide, quacum
vera paupertas spiritus coniuncta est, Matth.
V, 3. Ies. LVII, 15. Vocatur alias *inhabitatio*
Dei, *spirituale coniugium*, *institio in Christum*,
aliisque istiusmodi nominibus pluribus insi-
gnitur, quemadmodum e sequentibus patebit.

§. IV.

Vniendi, sunt ex altera parte Deus triu-Quinam
nus, Io. XIV, 23. speciatim *Pater*, 2 Cor. VI, spiritali-
16-18. *Christus Iesus*, et quidem secundum ter vni-
vtramque naturam, diuinam et humanam, di-
1 Cor. VI, 17. Eph. I, 22. 23. III, 17. IV, 15.
V,

V, 30. 32. ideo dictus Immanuel, Ies. VII, 14. Matth. I, 23. vnus vir, 2 Cor. XI, 2. Apoc. XXI, 2. sponfus, Io. III, 29. Matth. IX, 15. XXV, 5. 6. 10. caput corporis sui, Eph. I, 22. IV, 15. vera vitis, Io. XV, 1. vita nostra, Col. III, 4. panis vitalis, Io. VI, 35. spiritalis petra, 1 Cor. X, 4. lapis angularis, 1 Petr. II, 6. vestimentum salutis et toga iustitiæ, cetera, Ies. LXL, 10. Rom. XIII, 14. *LVTHERVVS* Postill. Eccles. in epist. fest. Circumcis. ad Gal. III, 27. Tom. XIII. Lips. fol. 236. b. „*Quam pulchra, versicolor et pretiosa illa vestis est, quæ tam mirifice exornata, omnisque virtutis, gratiæ, sapientiæ, veritatis ac iustitiæ gemmis intertexta est, et quidquid in Christo vest, complectitur! Ut adeo merito Paulus gratias agat Deo de eius dono ineffabili, et D. Petrus, 2 epist. I, 4. per Christum maxima nobis et pretiosa promissa donata esse adfirmet. Hæc tunica illa versicolor Iosephi est, quam pater ei suus præ ceteris filiis fecit, Gen. XXXVII, 3. solus enim Christus gratiæ veritatisque plenus est. Item: Hæc pretiosa vestis summi sacerdotis Aaronis est, qua indutus seruiebat Deo, de qua multa haberem, quæ dicerem. Paulus enim hoc etiam verbo ad illas historias nos remittit., Et Spiritus sanctus, qui tamquam arrhabo et pignus futuræ nostræ hereditatis nobis datur, Eph. I, 13. 14. 2 Cor. I, 22. V, 5. XIII, 13. Ex altera autem parte, homines vere resipiscentes et credentes,*
Ies.

De vnione spirituali cum Deo. 159

Ief. LVII, 15. Apoc. III, 20. 2 Petr. I, 4. Eph. III, 17. ideo vocati templum Dei et Spiritus diuini, 1 Cor. III, 16. 17. VI, 19. tabernaculum Dei, Apoc. XXI, 3. coll. Io. I, 14. domus Christi, Hebr. III, 6. 1 Petr. II, 5. sponsa Christi, Io. III, 29. Matth. IX, 15. Apoc. XXI, 2. coniux agni, c. XIX, 7. corpus Christi, Eph. I, 23. membra corporis eius, c. V, 30. palmites eius, Io. XV, 2. 5. *LVTHERVS* Postill. Eccles. in euangel. fer. I. Pentecost. Io. XIV. Tom. XIII. Lipsi. fol. 704. b. „Hec noua pentecostes dies vere magna, eximiaque operatio „ac potentia Spiritus sancti, caeleste item concilium, ex utraque parte, sit oportet, ubi mentes per Spiritum sanctum illuminantur, et „amore in Christum incenduntur, et vicissim „Christi ac Patris amor erga homines lucet et „splendet; ubi Deus et homo tam amice „conspirant, ubi ipse Spiritus sanctus hominis animam praeplet, consecratque Deo domum et „habitaculum, templum ac sacram quasi pyxidem (Monstranz), homo autem tam splendidum, nobilem et carum hospitem, incolam „atque habitatorem recipit, qui est Deus Pater „et Filius. Sane magna haec istorum hominum „gloria et gratia sit, oportet, qui dignantur „esse tam splendida habitatio, arx et aula, „nimmo paradysus et caeleste regnum in terra, „ubi Deus habitat.“

§. V.

Media vnionis spiritualis ex parte Dei Media spiritualis sunt

ritualis

vnionis sunt (1) sanctum ipsius *verbum*, Io. XIV, 23. quanam? 2 Petr. I, 3. 4. (2) *sacramenta*; *baptismus*, in quo *εἰς ὄνομα*, in nomen, hoc est, in communionem Dei triunius, Matth. XXVIII, 19. speciatim in Christum eiusque mortem baptizamus, et mortis eius similitudine infortitii reddimur, Rom. VI, 3. 4. 5. ipsumque (instar pretiosæ vestis ad accipiendam in illa benedictionem, vid. typus Gen. XXVII, 15.) induimus, Gal. III, 27. et *sacra cœna*, quæ est *κοινωνία*, communio corporis et sanguinis Christi, 1 Cor. X, 16. 17. XII, 13. cuius digna participatione in vnione spiritali corroboramur ac confirmamur. Vid. Io. VI, 55. 56. *Ministerium ecclesiasticum*, cui hæc gratiæ media administrandi datum est negotium, hunc itidem finem sibi propositum habet, vt homines ex communiōe peccati et satanæ liberentur, ad Deumque in Christo reducantur, Act. XXVI, 18. 2 Cor. XI, 2. 1 Io. I, 3. *Ex parte hominum* medium huius spiritalis vnionis est *fides*, quippe per quam Christus in animis eorum habitat. Eph. III, 17. Vid. etiam 1 Io. IV, 15.

§. VI.

In quo
consistit
spiritalis
vnio?

Non *consistit* igitur spiritalis vnio in generali præsentia Dei (de qua Ier. XXIII, 23. 24. Act. XVII, 27. 28. et alibi sermo est,) nec tamen in donis et operationibus Dei in fidelibus, sed in eo, quod Christus, et propter Christum etiam Pater et Spiritus sanctus, se-

De vnione spirituali cum Deo. 161

secundum essentiam suam, mystica quadam,
efficaci et plena gratiæ ratione in eis habi-
tant, adeoque cum illis multo arctius, quam
cum reliquis rebus creatis, coniuncti sunt,
Io. XIV, 23. XVII, 21. Gal. II, 20. Quo
modo alias hæc spiritualis fidelium et Dei,
speciatim Christi, vnio sub imagine coniugii,
coniunctionis capitis et membrorum, vitis ac
palmitum, aliisque imaginibus proponatur,
vid. supra §. IV. LV THERVS Postill. Ec-
cles. in euangel. fer. I. Pentec. Io. XIV. Tom.
XIII. Lipsf. fol. 705. a. „Vos estis templum
„Dei viuientis, sicut dixit Deus: Habitabo in
„eis et inambulabo. Hoc fit, quando Deus præ-
„ter gratiam, per quam homo incipit credere,
„verboque innititur, in homine etiam per di-
„uinam virtutem et operationem suam regnat,
„vt magis magisque illuminetur, spirituali in-
„telligentia et sapientia proficiat et confirme-
„tur, vt de omni doctrina genere et rebus qui-
„busuis cognoscere possit et iudicare; præterea
„etiam in virtutibus et bonis fructibus quoti-
„die procedat et progrediatur, euadatque ho-
„mo lenis, mansuetus et patiens, qui docendo,
„consulendo, solando et dando omnibus seruiat,
„Deo et hominibus utilis, per quem et propter
„quem terræ et habitatoribus eius bene est; vt
„summatim dicam, eiusmodi homo, per quem
„Deus loquitur, viuit et operatur, quæcum-
„que loquitur, viuit et operatur, ita vt lingua
„eius lingua Dei, manus eius manus Dei, et

L.

ver-

„verbum eius non amplius hominis, sed Dei
„verbum sit.“

§. VII.

Quenam
inde com-
munio ex-
sistit?

Ex hac vnione adeo plena gratiæ et so-
latii communio existit, vt homo Deum et
Christum vna cum toto ipsius merito, iustitia,
spiritu et virtute, ad interioris hominis in-
crementum et perseuerantiam in boni et
recti studio, patientiam item in afflictioni-
bus, sibi proprium accipiat, Eph. III, 16-
19. Col. I, 11. Vnde fideles dicuntur esse
circumcisi in Christo, Col. II, 11. cum ipso
crucifixi, Gal. II, 19. mortui, Rom. VI, 3.
sepulti, com. 4. resuscitati et in vitam reuocati,
com. 4. 5. 8. Col. II, 13. in cælestibus collo-
cati, Eph. II, 6. per ipsum omnia posse, Phil.
IV, 13. *LVThERVS* in Postill. Ecclesi. in
euangel. Dom. XX. post Trinit. Tom. XIV.
Lipsi. fol. 354. (a). b. „Quum igitur Christus
„meus sit, et ego sim Christi, si vel maxime ir-
„ruat mors, Christum habeo, qui vita mea est.
„Si peccatum irruat, Christum habeo, qui in-
„stitia mea est; si orcus et damnatio irruat,
„Christum habeo, qui salus mea est. Quid-
„quid tandem irruat, Christum habeo, qui
„propugnaculum meum est, vt me ledere possit
„nihil; et hæc vnio naturæ diuinæ cum huma-
„na in imagine nuptiarum, et summus amor
„Dei in nos in amore sponsæ adumbratur.“ Vi
huius communionis speciatim Christus sibi
adpropriet., quæcumque membris ipsius in
hoc

De vnione spirituali cum Deo. 163

hoc mundo bona vel mala obtingunt, Matth. X, 40. XXV, 35. fqq. Act. IX, 4. Vid. Zach. II, 8. Ies. LXIII, 9. Col. I, 24. In hac ipsa etiam fundatur vnio et communio fidelium inter se mutua; siquidem vnus est Deus et vnus Christus, qui in omnibus habitat, 1 Io. I, 3. Eph. IV, 3. 6. 15. 16. Io. XVII, 20. 23. 1 Cor. XII, 18. fqq. Rom. XII, 4-6.

§. VIII.

Præcipua notæ et γυαγισµατα spiritua- Quænam
lis vnionis sunt: (1) dominium in peccatum, præcipua
1 Io. III, 6. (2) victoria de mundo, 1 Io. IV, γυαγισ-
4. (3) sensus spiritus, Rom. VIII, 9. 1 Io. σµατα?
III, 24. V, 20. (4) observatio præceptorum
Christi, 1 Io. II, 5. (5) imitatio Christi, 1
Io. I, 6. 7. II, 6. (6) vere fraternus amor, 1
Io. IV, 12. (7) ingenua confessio Christi,
com. 15. (8) efficax communio perpeffio-
num Christi, Phil. III, 9. 10. 2 Cor. XIII, 5.
(9) desiderium hinc migrandi et degendi
cum Christo, Phil. I, 21. 23. ad quæ omnia
par est nos diligenter exploremus.

§. IX.

Officium nostrum secundum hanc do- Quodnam
ctrinam est, (1) communioni peccatorum et secundum
satanæ in vera resipiscencia valedicere, quip- hanc do-
pe qua non sublata, vnio et communio cum ctrinam
Christo locum habere nequit, vid. supra §. II. officium
(2) a Deo illustratos mentis oculos perere, nostrum?
vt summam et diuinam huius vnionis, quæ
est μέγα µυστήριον, magnum mysterium,
L 2 (Eph.

(Eph. V, 32. coll. 1 Tim. III, 16.) dignitatem cognoscamus, eaque cognitione salutariter utamur, Io. XIV, 16. 17. 20. (3) eo contendere, ut hac in vnione, si in eam perducti sumus, per frequentem mediorum salutis usum, in primis per sæpius iteratam dignam cenæ dominicæ participationem, et fidelem virium, quæ ex inhabitatione Dei et Christi ad nos redundant, ad amorem et obedientiam erga ipsum ipsiusque præcepta adplicationem, magis magisque radicemur et corroboremur, Io. XIV, 23. 1 Cor. VI, 17. (4) quum per hanc vnionem templum Dei facti simus, cauere, ne illud corrumpamus, sed Deum nostris et corporibus et animis, quæ Dei sunt, honoremus, 1 Cor. III, 17. VI, 20. (5) illos etiam, in quibus Deus habitat, et dona Dei in ipsis sincere amare et honorare, nec vlllo modo in eos peccare, 1 Cor. XIV, 25. Vid. supra §. VII.

§. X.

Quodnam
fidelium
solatium
ex hac
vnione?

Solatium fidelium ex hac vnione est, (1) quod Deus ex parte sua sibi eos non in hodiernum et crastinum diem, vel in annos aliquot, sed in perpetuum desponsauerit, Hof. II, 19. Io. XIV, 16. (2) Quod per hanc vnionem domicilium, templum et tabernaculum Dei facti, atque ita ad ineffabilem gloriam ac dignitatem euecti sint. Vid. supra §. IV. *LVTHERVS* in Postill. Eccles. in euangel. fer. I. Pentec. Tom. XIII. Lips. fol.

De vnione spiritali cum Deo. 165

706. b. „Hec est præclara illa promissio de
 „præstantissima Christianorum gloria, quod
 „Deus illis tantopere se demittit et propinquus
 „est, ut nusquam nisi in ipsis, et per verbum,
 „ac opus, manum et os eorum sese prodere, vi-
 „deri atque audiri velit, eaque re ingens dis-
 „crimen faciat inter ipsos et reliquos homines
 „vniuersos, adeo ut vel tenuissima sortis Chri-
 „stianus prorsus alius sit, et coram Deo multo
 „honoratior habeatur, quam omnes in vniuer-
 „sum reges, imperatores, principes et magna-
 „tes huius mundi, qui nihil huius gloriæ habent
 „aut sciunt, quemadmodum Moses Deut. IV, 7.
 „ait: Quæ tanta gens est, ad quam dii acce-
 „dant, ut Iehoua Deus noster, quoties eum in-
 „vocamus? ut vel hinc dignum sit verbum
 „euangelii, cui faueamus, fidenter adhareamus,
 „illiusque causâ, quidquid in mundo est, dere-
 „linquamus.” (3) Quod ipsis propter hanc
 vnionem nec vires necessariae ad sanctimo-
 niam defuturæ sint, nec necessaria sub affli-
 ctionibus consolatio, Eph. III, 16. 17. Ies.
 XLI, 10. XLIII, 1. 2. XLV, 24. (4) Quod
 hinc possint confidere, fore, ut qui in ipsis
 opus bonum fidei inchoarit, idem absoluat
 usque ad diem Iesu Christi, Phil. I, 6. utpote
 qui in ipsis non otiosus est, sed in illis habi-
 tat, viuit, operatur et inambulat, c. II, 13.
 2 Cor. VI, 16. Gal. II, 20. (5) Quod non sit,
 quod metuant, quia is apud eos et in eis est,
 qui maior est, quam qui in mundo est, 1 Io.

IV, 4. (6) Quod ex ea de futura etiam corporum resurrectione et gloriosa transformatione certi esse possint, Rom. VIII, 11. (7) Quod ipsos nulla res ab amore Dei, qui est in Christo Iesu, Domino nostro, possit diuellere, Rom. VIII, 35-39. (8) Quod, quum huius vnionis, inhabitationis et communionis dignitas et præstantia heic lateat, illic aliquando patefacienda sit, vt impleatur, quod dictum est: *Ecce Dei apud homines tabernaculum, qui apud eos habitabit, et ipsi eius populus erunt, et ipse Deus erit apud eos Deus eorum*, Apoc. XXI, 3. 2 Thess. I, 10. (9) Quod non solum ipsi sempiternum Dei templum, sed etiam Dominus Deus omnipotens et Agnus templum eorum futuri sint, Halleluia! Apoc. XXI, 22. 1 Cor. XV, 28. Io. XVII, 21-26.

ARTICVLVS NONVS
DE
RENOVATIONE
SIVE
SANCTIFICATIONE.

§. 1.

Quodnam **S**extum et vltimum beneficium status benefici- gratiæ est *renovatio* siue *sanctificatio*, um in hoc articulo quæ cum antecedentibus beneficiis iu- consideratificationis et spiritualis vnionis ex diuino tur? ordine proxime et arctissime coniuncta est. In-

De renouatione siue sanctific. 167

Intelligitur autem per illam in hoc articulo efficax continuatio et incrementum operis gratiæ, per Spiritum sanctum in regeneratione et conuersione inchoati, Phil. I, 6. quæ proinde a regeneratione, sensu strictiore sumpta, heic distinguenda, non autem separanda est. Ceterum per *renouationem* siue *sanctificationem*, sensu latiore acceptam, etiam negotium regenerationis, et generatim vniuersum Dei opus, quo amissam diuinam gratiam in homine per Christum et Spiritum suum instaurat, denotari solet.

§. II.

Hæc diuinæ gratiæ operatio, in reno- Ex qui-
uatione et sanctificatione sese exserens, ho- bus fun-
minem requirit regentum et *iustificatum*, damentis
quippe in quo vetus homo (licet crucifixus hæc diui-
et infirmatus Rom. VI, 6.) adhuc residuus; na opera-
nouus autem instar recens nati infantis ad- tio fuit?

huc tener et infirmus est. Rom. VIII, 1. 12. 13.
1 Petr. II, 1. 2. 1 Cor. III, 1. **LUTHERVS**
Postill. Eccles. „*Vniuersa vita nostra exerci-*
„*tatio eo spectat, vt congenitam iniustitiam,*
„*et quidquid a gratia vacui et mundani animis*
„*et corporibus nostris inest, expurgemus, vt hæc*
„*tota vita ad mortem vsque nihil nisi purifica-*
„*tio sit. Fides enim etsi nos ab omni reatu legis*
„*prorsus absoluit et liberat; remanent tamen*
„*male inclinationes in anima et corpore, sicut*
„*squalor et morbus a carcere; in his omnibus*
„*penitus expurgandis occupata est fides, quem-*

L 4

„admo-

„admodum in euangelio Io. XI, 43. totus Laza-
 „rus voce Christi e mortuis resuscitabatur, fa-
 „scias autem et sudarium postea solui et remo-
 „veri oportebat. Et semine ex ille homo, quem
 „obligabat et in diuersorium ducebat Samari-
 „tanus, aliquamdiu ibi iacere et omnino con-
 „ualefcere ex acceptis vulneribus debebat.„
 Fundata autem est in miserante Dei amore,
 Ezech. XVI, 6. 9. seqq. ipsiusque sanctitate,
 1 Petr. I, 16. in primis vero in redemptione
 Christi et facta per illam reconciliatione nostri
 cum Deo, Tit. II, 14. 1 Petr. I, 17. 18. II, 24.
 2 Cor. V, 15. Rom. VI, 4. 1 Io. III, 8. Hebr.
 IX, 14. nec non in omnibus ante considera-
 tis beneficiis vocationis, 1 Theff. IV, 7. illu-
 minationis, Eph. V, 8. 2 Cor. III, 18. regenera-
 tionis, Io. XV, 16. Tit. III, 5. Eph. II, 10.
 1 Petr. II, 2. iustificationis, Rom. VI, 22.
 2 Cor. VI, 1. et unionis cum Deo, Eph. III, 16.
 17. quippe quæ beneficia omnia ad magis
 magisque excolendam sanctificationem et
 renouationem hominis in diuinam imagi-
 nem spectant, ad eamque necessarias vires
 subministrant. Ex quibus omnibus simul
 necessitas et possibilitas rei ipsius confirmatur.
 LUTHERVS de Conciliis et Ecclesiis, Tom.
 VII. Alt. fol. 272. b. fin. „Istiusmodi Christus
 „nullus est et nupiam, qui pro illis peccatori-
 „bus mortuus sit, qui peccatorum veniam ade-
 „pti a peccatis non desistunt, nec nouam vitam
 „viuunt.„ Et paullo post; „Christus ideo
 „Chri-

„Christus est, et liberationem a peccato et morte
 „ideo peperit, ut Spiritus sanctus nos ex veteri
 „Adamo faciat homines novos, ut monente
 „Paulo, peccato mortui iustitie viuamus; heic
 „quidem incipiendo et proficiendo, illic consum-
 „mando. Christus enim nobis non tantum gra-
 „tiam, sed etiam donum; hoc est, Spiritum
 „sanctum, promeruit, ut non solum remissio-
 „nem peccatorum, sed vires etiam a peccatis
 „desistendi haberemus. Qui igitur non recedit
 „a peccatis, sed in pristina permanet improbi-
 „tate, is alium Christum habeat, oportet. Verus
 „Christus ibi non adest, etiamsi omnes angeli
 „Christum clamitarent; sed istiusmodi homo
 „cum nouo Christo suo pereat, necesse est.

§. III.

Est autem renouatio beneficium et gra- Quomo-
 tiosa operatio totius sacrosanctæ Trinitatis, do hoc
 Patri tribuitur Io. XV, 2. Hebr. XIII, 21. benefi-
 i Thess. V, 23. 24. Filio, qui non solum morte um ratio-
 et resurrectione sua vires sanctificationis no- ne causæ
 bis peperit, Hebr. IX, 14. Rom. VI, 6. 8. Gal. efficientis
 III, 14. sed eam etiam efficit, i Cor. I, 30. spectan-
 Hebr. II, 11. Io. XV, 5. Spiritui sancto, ut- dum est?
 pore cui officium sanctificationis adpropria-
 rur, Rom. I, 4. VIII, 2. 9. 10. 11. 14. Gal. V, 22.
 Eph. III, 16. V, 9. Pl. CXLIII, 10. Quando
 ergo ab hominibus requiritur, ut se expur-
 gent, i Io. III, 3. veterem hominem depo-
 nant, nouum induant, Eph. IV, 22. sqq. Col.
 III, 9. 10. sanctimonia perfungantur, 2 Cor.

VII, 1. cetera, tum hoc ipso viribus humanis et naturalibus, ad res spirituales ineptis atque emortuis, nihil tribuitur, sed omnes adductæ et similes locutiones sic intelligendæ sunt, ut per eas indicetur, *quid ex spiritualibus gratiæ viribus, in regeneratione donatis, fieri et possit et debeat*, 1 Cor. XV, 10. 2 Cor. III, 5. Phil. II, 13. 1 Paral. XXX, 14.

§. IV.

Quibus
mediis in
hoc opere
Deus uti-
tur?

Quemadmodum Deus in beneficiis vocationis, illuminationis, regenerationis, cere-
ris, modo ordinario per *verbum* suum et
sacramenta agit et operatur; ita virisque
tamquam mediis etiam in renouatione et
sanctificatione hominis utitur. Etenim *ver-
bum* Dei non tantum *semen* est, hominem,
cuius animo inseritur et in quo manet, a
peccato custodiens, 1 Io. III, 9. Pl. CXIX, 11.
Luc. VIII, 15. sed *spirituale* etiam *lac* est, quo
grandescere potest et proficere, 1 Petr. II, 2.
Baptismus non tantum regenerationis sed
renouationis etiam est lauiacrum, in quo vir-
tutis mortis ac resurrectionis Christi, ad de-
ponendum veterem et induendum nouum
hominem, participes reddimur, Tit. III, 5.
Rom. VI, 3-5. 1 Petr. III, 21. Col. II, 11. 12.
(Vid. Luth. Catech. min. quæst. ult. in Libb.
Symbol. p. 377. 378.) Et *sacra cæna* cibum
illum præbet, cuius viuificantibus viribus
regenti per dignam illius participationem
in interiorem hominem magis magisque
cor-

De renouatione siue sanctific. 171

corroborantur et sanctificantur, vid. Io. VI, 55. 56. 57. coll. Pl. CIV, 15. 1 Reg. XIX, 8. *Ministri ecclesie* heic itidem spectandi sunt vt adiutores et instrumenta Dei, qui per fidam mediorum istorum salutis administrationem, non solum ferunt, sed etiam irrigant, 1 Cor. III, 6. Rom. I, 11. XV, 16. Eph. IV, 12. Act. XIV, 22. Quo etiam *ἐπιχορηγία*, siue *mutua opitulatio membrorum Christi*, referenda est, ex qua spirituale incrementum et edificatio vniuscuiusque membri in specie existit, Eph. IV, 16. Col. II, 19. 1 Cor. XIV, 3. 12. 26. Rom. XV, 14. 1 Thess. V, 11. Col. III, 16. Accedit, quod Deus varias *calamitates* et *afflictiones* filiis suis immittat, vt peccare desinant, 1 Petr. IV, 1. ipsiusque sanctitatem participant. Hebr. XII, 10. Rom. V, 3-5. 2 Cor. IV, 16. Sicut autem hæc sunt media ex parte Dei; ita ex parte hominis medium est *fides τῆς ἐνεργείας*, efficacis virtutis Dei, Col. II, 12. vtpote quæ est *δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη*, per caritatem agens, Gal. V, 6. 2 Petr. I, 5. **LV THERVS** Præfat. in Epist. ad Roman. Tom. V. Witteb. fol. 97. b. „Fides est opus „Dei in nobis, quo renascimur et renouamur „ex Deo et Spiritu Dei, Ioan. I, 13. quo vetus „Adam occiditur, nosque toti transformati „per omnia, vt Apostolus inquit, Christo nouæ „creature efficiuntur per fidem, ubi vita et gubernatio cordis fit Spiritus sanctus. Tam „efficax autem, vita spirans et potens energia „in

„in corde est fides, ut non possit otiosa esse, et
 „non crumpere in opera. Neque is, qui fidem
 „habet, moratur, an bona opera praecepta sint,
 „an secus; sed etiam, si nulla esset lex, viuo
 „hoc impulsu agitante et trudente in corde,
 „sponte fertur ad operandum, neque cessat um-
 „quam vere pia vereque christiana operari.
 „Qui vero ex tali viuo adfectu cordis non facit
 „sua bona opera, is in incredulitate est totus et
 „alienus a fide, quemadmodum plerique multa
 „de fide et operibus disputant et in scholis de-
 „cantant, non intelligentes, quid loquantur,
 „neque de quibus adsirment. Fides est fiducia
 „constans misericordiae Dei erga nos, in corde
 „viuens et efficaciter agens, qua proicimus nos
 „toti in Deum et permittimus nos Deo, qua certo
 „freti non dubitemus millies mortem oppetere.
 „Et haec tam animosa fiducia misericordiae Dei
 „cor exhilarat, erigit et excitat, rapitque dul-
 „cissime quibusdam affectibus erga Deum, ani-
 „matque sic cor illud credentis, ut Deo fretus
 „non reformidet se solum opponere omnibus
 „creaturis. Hoc ergo pectus heroicum, hos in-
 „gentes animos indit cordi Dei Spiritus, qui
 „datur per fidem. Atque hinc consequimur,
 „tum et hac viua energia in corde impellimur
 „ad bonum. Hanc hilarem propensionem conse-
 „quimur, ut sponte et ultro ardentem et prom-
 „ptissimi sumus facere, tolerare et pati omnia in
 „obsequium tam clementis patris et Dei, qui
 „per Christum tanta opulencia gratiae nos diti-
 „vit

De renouatione siue sanctific. 173

„vit et tantis opibus obruit. Fieri nequit, vt
 „hæc efficacia et vita fidei in vlllo sit, quin adsi-
 „due operetur, quin Deo fructificet. Hand
 „secus atque impossibile rogum aut pyram ac-
 „cendi, quæ non luceat.,

§. V.

Homines renouationis (vt post conuer-
 sionem accipitur) participes, sunt soli *regenerati*
 et per fidem *iustificati*, Rom. VI, 22. Col. III,
 1. 3. 7. 10. 12. 13. Neque vero ad solius ani-
 mæ facultates, intellectum, Rom. XII, 2. Phil.
 I, 9. Col. I, 9. 11. III, 10. et voluntatem, Eph.
 IV, 23. 24. sed certo etiam modo ad corpus
 eiusque membra, Rom. XII, 1. VI, 12. seq. 19.
 siue ad omnes partes hominum (*ὁλοτελής*),
 spiritum, animam et corpus refertur, quem-
 admodum Paulus 1 Theff. V, 23. loquitur.

§. VI.

Renouatio et sanctificatio ipsa, prout Deo, Renoua-
 tamquam causæ principali et efficienti, tri-
 buitur, est istiusmodi diuinæ gratiæ in ho-
 minibus regeneratis et iustificatis operatio, qua
 residua in illis vetus natura virtute mortis
 Christi magis magisque infirmatur et abo-
 letur, noua autem virtute resurrectionis
 Christi magis magisque corroboratur et ad
 diuinam imaginem transformatur, Mal. III,
 3. Ps. LI, 12. Col. I, 11. 2 Cor. III, 18. Eph.
 IV, 23. Quatenus vero, sensu §. III. indicato,
 regeneratis competit, per eam idem illud intel-
 ligitur, quod sacra scriptura, ratione resi-
 duæ

Quinam
 homines
 renoua-
 tionis
 participes
 sunt ?

Renoua-
 tio et san-
 ctificatio,
 vt Deo tri-
 buitur,
 quid ?

duæ in illis vitiositatis, per renouationem magis magisque abolendæ, vocat *crucifigere* carnem vna cum libidinibus et cupiditatibus, Gal. V, 24. *deponere et exuere veterem hominem*, Eph. IV, 22. Col. III, 9. (coll. Gen. XXXV, 2.) *contundere et subigere corpus*, I Cor. IX, 27. *abscindere, eruerè, necare membra terrestria*, quæ nobis officiunt, Matth. XVIII, 8. 9. Col. III, 5. *circumcidere cor*, Rom. II, 29. *purgare se ab omni et corporis et animæ labe*, 2 Cor. VII, 1. *abnegare se*, Luc. IX, 23. *expurgare vetus fermentum*, I Cor. V, 7. 8. *vincere mundum*, I Io. V, 4. cetera; et quod, ratione boni in hac renouatione efficiendi, per *τὸ induere nouum hominem*, Eph. IV, 24. Col. III, 10. *inducere Dominum Iesum Christum*, Rom. XIII, 14. *inducere diuinam armaturam*, Eph. VI, 11. *præbere membra serua iustitiæ*, Rom. VI, 19. *exercere se ipsum ad pietatem*, I Tim. IV, 7. *contendere ad scopum et palmam*, Phil. III, 14. aliasque plures locutiones emphaticas indicare solet: quæ omnia non sine *lucta carnis et spiritus* perficiuntur, Gal. V, 16. 17. Hebr. XII, 1. Quanto autem magis necantur spiritu carnis actiones, tanto magis spiritalis vita et diuinum incrementum sese exserit, Phil. III, 10. Rom. VIII, 10. 2 Cor. XII, 9. Io. XII, 24. 25.

§. VII.

In renouatione

In renouatione dantur certi *gradus*, quemadmodum ex discrimine inter *filiolos*,
ado-

De renouatione siue sanctific. 175

adolescentes et patres; 1 Io. II, 12. 13. 14. in-
ter *pueros et viros adultos* in Christo, Eph. IV,
13. 14. inter *imbecilles et fortes*, Rom. XIV, 1.
XV, 1. Hebr. V, 14. inter *spirituales et carna-*
les, 1 Cor. III, 1. et ex proprietatibus, quæ
cuiuslibet ordini tribuuntur, liquet. Vnde
euangelicus salutis ordo in fidelibus et re-
genitis non quidem absolutam omnibus nu-
meris perfectionem secundum renouationem
exigit; assiduam tamen sinceræ pietatis ex-
ercitationem, ardensque in spiritu ac veritate
ambulandi studium requirit, et ad magis
magisque crescendo, quod ad interiorē
hominem, contendendumque ad scopum ac
palmam, ad quam vocati sunt diuinitus per
Christum Iesum, instigat, Marc. IV, 20. 26-
29. Matth. XIII, 23. 31. 32. Col. II, 19.
1 Thess. IV, 1. 9. 10. 1 Cor. XV, 58. 2 Cor.
IV, 16. VII, 1. Phil. III, 12-14.

§. VIII.

Præcipui fructus renouationis et sanctifi-
cationis sunt (1) incrementum, quod ad
interiorē hominem, Eph. IV, 15. (2) in
specie augmentum diuini luminis ad cogni-
tionem Patris et Christi, 2 Petr. I, 5-8. Io.
VII, 17. VIII, 12. 31. 32. Vid. Matth. V, 8.
(3) facultas spiritualis *donum* *actus* seu explo-
rationis, Rom. XII, 2. 1 Cor. II, 15. 2 Cor.
XIII, 5. Phil. I, 9. 10. Eph. V, 9. 10. (4) veræ
virtutes et bona opera, siue fructus Spiritus
et iustitiæ, Gal. V, 22. Eph. V, 9. Phil. I, 11.
(5)

bono
Ibo ma
chitatio
et aut
mabo
ob om
manus

Præcipui
renova-
tionis
fructus
quinam ?

(5)

(5) pax et gaudium in Spiritu sancto, Rom. VIII, 6. 13. XIV, 17. (6) instauratio amissæ diuinæ imaginis, 2 Cor. III, 18. (7) vita æterna, quæ est *χρόσιμα τῆ Θεῆς*, beneficium gratuitum Dei, Rom. VI, 23. Gal. VI, 8. (8) honor et glorificatio gratiæ et virtutis Dei atque Domini nostri Iesu Christi in hac et futura vita, Matth. V, 16. Io. XV, 8. Phil. I, 11. 2 Thess. I, 12.

§. IX.

Quod-
nam offi-
cium fide-
lium se-
cundum
hanc do-
ctrinam?
Officium fidelium secundum hanc doctrinam est, (1) Deo gratias agere, quod non solum peccata ipsis sua propter Christum condonarit, sed in Christo etiam, Spiritum suum donando, ad diuinam imaginem eos renouare, et ad seruiendum sibi idoneos reddere velit, (2) vires quotidianæ renouationis et sanctificationis, sub constanti propriarum virium abnegatione, ab ipso submisse petere et efflagitare, Hebr. XIII, 21. Eph. III, 14. seqq. 1 Thess. V, 23. 2 Thess. I, 11. (3) haud vlllo prætectu studium sanctificationis in sese exstingui sinere, 2 Petr. II, 18. 19. Hebr. III, 12. 13. Gal. V, 7-13. Rom. VI, 1. 2. Mal. III, 14. 15. Sirac. V, 4. 5. 6. Eph. V, 6. 7. 11. sed ex acceptis spiritualibus gratiæ viribus in renouatione sedulo sese exercere, Tit. II, 14. Hebr. XII, 14. 1 Cor. IX, 24. seqq. Vid. Matth. XI, 12. Eph. VI, 10. seqq. (conf. supra §. VIII.) ne beneficium Dei incassum accepisse inueniantur, 2 Cor. VI, 1. Matth.

De renouatione siue sanctific. 177

Matth. XXV, 14 - 30. 2 Petr. I, 9. II, 20.
 (4) hunc in finem subsidiis gratiæ, ad renouationem et spirituale incrementum diuinitus præscriptis, fideliter et in debito ordine uti; vid. supra §. IV. (5) ea omnia, quæ hoc tempore patienda sunt, libenti animo pati, quippe quæ fraudi ipsis esse non possunt, sed diuinæ renouationis opus in eis prouehere debent, (vid. supra §. IV.) maxime autem (6) in Christo eiusque vnione manere, ex qua omnes spirituales vires ad occisionem veteris et incrementum noui hominis oriuntur, Col. II, 12. 13. Rom. VI, 4. 5. Io. XV, 4. 5. Vid. supra §. II.

§. X.

Solatium eorum est, (1) quod Deus vi Quodnam
 res, per Christum ad sanctificationem illius eorum
 que incrementum partas, suppeditare iisque solatium?
 efficere velit, quæ viribus naturæ fieri nequeunt, Ies. XL, 31. 1 Petr. V, 10. 2 Petr. I, 3.
 Rom. VIII, 26. (vid. supra §. II. III.) (2) quod
 ex quotidiana renouatione, tamquam certo
 et indubitato criterio, sese in statu gratiæ
 esse, firmiter sibi persuadere possint, Rom.
 VIII, 1. Gal. V, 23. (3) quod ex vera renouatione oriundæ virtutes et opera omnia diuinitus facta sint Deoque placeant, Io. III, 21.
 habeantque gratuita præmia, 1 Cor. XV, 58.
 (vid. infra Artic. XVII.) (4) quod in omnibus
 afflictionibus ob studium, quod in sanctificatione collocant, sibi vsu venientibus, felices
 M sint,

sint, easque ipsis ad bonum adiumento esse oporteat, Matth. V, 10-12. 1 Petr. III, 14. IV, 14. (5) quod tandem ab huius mortis corpore prorsus liberandi, et quod ad corpus, animam et spiritum, in glorioso Dei conspectu inculpati et in plena imaginis Christi claritate cum lætitia statuendi sint, Epist. Iud. com. 24. Eph. V, 27. 1 Thess. V, 23. 1 Cor. XV, 49. 54. 55. Hebr. XII, 23.

ARTICVLVS DECIMVS

DE

SACRA SCRIPTVRA.

§. I.

Quomodo hic articulus cum præcedentibus coheret? Consideratis hactenus diuinis beneficiis atque operationibus, vocatione, illuminatione, regeneratione, iustificatione, vnione, et renouatione, *media* quoque salutis, per quæ Deus in homine, ad imaginem sui renouando, operari et efficaciam exercere vult, consideranda sunt paullo distinctius, quum eorum huc vsque non nisi summam generatimque facta sit mentio.

§. II.

Quænam media salutis? Media ista sunt *verbum Dei* et *sacramenta*, nimirum *baptismus* et *sacra cæna*.

§. III.

Quotupli modo libri, in quo continetur, qui vocatur *sacra scriptura*; (2) ratione diuersi argumenti, nimirum *legis* et *euangelii*.

§. IV.

§. IV.

De sacra igitur scriptura quum in hoc Auctor articulo præcipua momenta memoranda sacrae scripturae sint, primum quidem de eius *auctore* notandum est, quod sit *Deus triunus*, Rom. III, 2. quis ? 2 Tim. III, 16. Ita *Pater* dicitur per vates esse loquutus, Hebr. I, 1. *Filius*, qui est λόγος, verbum substantiale, perhibetur exposuisse, (ἐξηγήσατο) quæ in sinu Patris vidit et audiuit, Io. I, 18. coll. Hof. XII, 11. Apoc. I, 11. 19. De *Spiritu sancto* scriptum legimus, eius instinctu loquutos esse sanctos Dei homines, 2 Petr. I, 20. 21. coll. 1 Petr. I, 11. 12. 1 Cor. II, 13. 2 Sam. XXIII, 2. Ps. XLV, 2.

§. V.

Homines autem illi ipsi sunt, quorum in Quorum gratiam Deus sacram scripturam prophetis in gratiam sacram scripturam et apostolis inspirauit, utpote qui sine ea ex solo naturæ lumine viam ad recuperandam scripturam vnionem cum Deo reperire non possunt, Eph. IV, 18. Vid. supra Part. I. Art. I. §. I. Vnde etiam omnes ac singuli mortales, pro data unicuique facultate, eam legendi et meditando non solum libertatem et ius, sed diuinum etiam mandatum habent. Deut. VI, 6. 7. XXXI, 11. 12. Ps. I, 1. 2. (coll. Ios. I, 7. 8.) Luc. XVI, 29. 31. 2 Petr. I, 19. 2 Tim. III, 15. Apoc. I, 3. Act. XVII, 11.

§. VI.

Finis scripturae sacrae est eruditio hominum ad salutem, 2 Tim. III, 15. siue ut homines, *Finis sacrae scripturae* quis ?

mines, qui a Deo descuerunt et inuias peragrunt errorum solitudines, per eam, in ordine veræ respicientiæ et fidei, denuo illuminentur, sanctificentur et ad communionem Dei et Christi perducantur, in eaque conseruentur. 2 Petr. I, 19. Io. XVII, 17. XX, 31. I Io. I, 3. 4. 2 Tim. III, 16. Qui vero sacræ scripturæ finis non aliter obtinetur, quam si obuias in ea veritates serio mediteris, animo comprehendas, et bonis moribus, quos Spiritus sanctus per verbum excitat, morose haud repugnes. 2 Petr. I, 19. Hebr. II, 1. Rom. VI, 17.

§. VII.

Quanam præcipue sunt: (1) *Auctoritas*, in eo sita, quod eam proprietas scripturæ? pro proprio ac veraci ipsius Dei verbo habere, eique sine vlla exceptione credere et obsequi debemus. Quam auctoritatem non ob omnibus demum accipit, sed ab ipso Deo habet; qui eam inspirauit mentiri nescius, cuius Spiritus de diuina ista scripturæ auctoritate nos etiam per illam ipsam conuincit, quod eam a nobis, sine vlla hæsitazione, tamquam librum diuinum accipi, et in omnibus fidem ei haberi, moremque geri oporteat. I Io. V, 6. Io. Eph. I, 17. 18. I Thess. II, 13. Quanto autem quisque fidelius veritati obedit, tanto efficacius Spiritus sancti testimonium de veritate et diuinitate verbi, in scriptura contenti, in ipso obsignatur. Io. III,

33. VII, 16. 17. Præterea ad hæc omnia non parum confert vetustatis, sanctitatis et sublimitatis doctrinarum et mysteriorum, quæ in ea reperiuntur, consideratio, tot vaticiniorum impletio, tot millium martyrum testimonia, imprimis autem eorum omnium, quæ obsequio fidei in ea tribuuntur, impletio in hominibus. Io. VII, 17. (2) *Perfectio*, in eo posita, quod omnia, ad salutem creditu, factu et speratu necessaria, copiose, et quantum satis est, continet et proponit. Vtilis enim est *πρὸς διδασκαλίαν*, ad doctrinam (vt ex illa diuinas veritates de vniuerso ordine atque æconomia salutis condiscere, de illisque erudiri possis); *πρὸς ἐλεγχον*, ad redargutionem seu *conuictionem* (siue efficacem diuinarum, quas ex ea didiceris, veritatum obsignationem) et hinc proficiscentem errorum confutationem; *πρὸς ἐπανόρθωσιν*, ad *correctionem*, restitutionem in integrum (siue pristinae rectitudinis et planæ simplicitatis instaurationem, quia videlicet per lapsum Adæ omnia in nobis curua, tortuosa, iniqua et peruerfa facta sunt, collat. Ecclef. VII, 30. Ps. CXXV, 5. Ies. XL, 4. Sap. IX, 18. Act. VIII, 21. Phil. II, 15.) quo referenda quoque est omnis admonitio atque reprehensio; *πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ*, ad disciplinam seu institutionem et eruditionem in iustitia, vt ita perfectus sit homo Dei ad omne recte factum bene

comparatus, 2 Tim. III, 16. 17. Vid. Deut. IV, 2. Ex qua scripturæ perfectione sequitur, pro vnica fidei ac vitæ regula eam esse habendam, Ps. CXIX, 24. 105. Ies. VIII, 19. 20. Luc. XVI, 29. Gal. I, 8. Phil. II, 16. Apoc. XXII, 18. 2 Io. com. 9. 10. Act. XVII, 11. (3) *Claritas et perspicuitas*, siquidem non solum per se clara est et perspicua, sed etiam creditu et factu necessaria claris et perspicuis verbis exprimit, Deut. XXX, 11-14. Ps. XIX, 8. 9. CXIX, 105. 2 Petr. I, 19. 20. Vnde illuminatio non ob scripturæ obscuritatem, sed ob naturalem mentis nostræ cæcitatem eique accedentem occæcationem satanæ requiritur, Ps. CXIX, 18. Luc. XXIV, 45. Eph. I, 18. 2 Cor. IV, 4. *LVTHERVS* de seruo arbitrio, Tom. II. Witteb. fol. 427. a. (Tom. III. Alt. fol. 166. b.) „*Res in scriptura contentæ omnes sunt proditæ, licet quedam loca adhuc verbis incognitis obscura sint. Stultum est vero et impium, scire, res scripturæ esse omnes in luce positas clarissima, et propter pauca verba obscura res obscuras discere. Si vno loco obscura sunt verba, at alio sunt clara. Eadem vero res, manifestissime toti mundo declarata, dicitur in scripturis tum verbis claris, tum adhuc latet verbis obscuris. Iam nihil refert, si res sit in luce, an aliquod eius signum sit in tenebris, quum interim multa alia eiusdem signa sint in luce. Quis dicet, fontem publicum non esse in luce, quod*

„quod hi, qui in angiporto sunt, illum non vident, quum omnes, qui sunt in foro, videant?“, Ab hac autem spiritali cæcitare homo sine vera resipiscencia liberari non potest. 2 Cor. III, 15. 16. 2 Tim. II, 25. Eph. V, 14. Sirac. XV, 7-10. Hinc sacra scriptura homini animali necdum conuerso liber obsignatus est, Ies. XXIX, 11. 12. coll. Apoc. III, 7. V, 2. 9. 1 Cor. II, 14. 1 Io. III, 6. quem quidem, quod ad litteram, aliquo modo intelligit, spiritali autem eius ac diuinum sensum, quoad sanctificationis Spiritui resistit, non capit. Vnde eiusmodi homo scriptura multifariam abuti solet, 2 Petr. III, 16. 2 Cor. II, 17. coll. Gen. III, 3-5. Matth. IV, 6. 1 Tim. I, 6. 7. VI, 3. 4. 5. Io. XIX, 7. (4) *Efficacia*, quæ supernaturalis est, et in eo posita, quod animi hominum per eam diuinitus commoueri, interne immutari, illuminari, conuertri, ad diuinam imaginem renouari, et sub adfectionibus diuino ac cælesti solatio repleari possunt. Eccles. XII, 1. Ierem. XV, 16. XXIII, 22. 29. Psalm. XIX, 8-12. CXIX, 9. 1 Petr. I, 23. Io. VI, 63. Iac. I, 21. Eph. VI, 17. Rom. I, 16. XV, 4. Verumtamen hanc efficaciam homines multipliciter in se ipsis et aliis impediunt, Marc. IV, 15-19. Luc. VIII, 12. 14. Iac. I, 23. 24. De diuersis legis et euangelii effectibus in specie vid. Artic. XI.

§. VIII.

Quis anima et nucleus totius scripturæ sacræ ?

Anima et nucleus totius scripturæ sacræ est IESVS CHRISTVS, quippe de quo, quod ad personam, officium, mortem piacularem, et gloriam eius, testamentum verus partim claris et perspicuis vaticiniis, partim variis plenisque mysteriorum typis et figuris, tamquam adhuc futuro, testatur, Hebr. X, 1. 2. 3. 4. 5. 7. seqq. Col. II, 17. Psal. XL, 8. quem autem nouum testamentum, tamquam præsentem, et qui in carnem venerit, in eaque perfunctus sit omni iustitia, nobis sistit. Luc. XXIV, 44. Act. X, 43. 46. Io. V, 39. 1 Petr. I, 11. 12. In utroque autem ipse tamquam factus nobis a Deo sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio proponitur, quo nomine etiam a nobis in diuinitus præscripto penitentia ac fidei ordine habendus et acceptandus est, si scripturam nobis salutarem esse volumus. Io. V, 39. 40. (collat. Matth. II, 4. 5. 8.) 1 Cor. I, 30. *LVTHERVS* de seruo arbitrio, Tom. II. Witteb. fol. 427. a. (Tom. III. Alt. fol. 166. a.) „Tolle Christum „e scripturis, quid amplius in iis inuenies ? „ *IDEM* Serm. in Io. V, 39. Tom. VIII. Alt. fol. 476. a. „Quisquis scripturam recte et salutariter legere vult, id debet agere, ut Christum in ea querat ; et profecto inueniet vitam sempiternam. „ Et Postill. Eccles. in euangel. fest. Natiuitat. Luc. II. Tom. XIII. Lipf. fol. 112. a. „Non recte prædicabuntur „nec

„nec intelligentur lex et propheta, nisi Christi-
 „sum inibi inuolutum videas. Ita est, non vi-
 „detur Christus in lege inesse, nec Iudæi ipsum
 „in ea conspiciunt. Minus speciosæ et tenues
 „sunt fasciæ, verba incommata atque de rebus
 „externis ac leuibus videntur fieri, ut adeo ex
 „se ipsa cognosci nequeat: sed testamentum no-
 „uum, siue euangelium indicet, aperiat et il-
 „lustrat, necesse est. Christus enim prius in
 „euangelio audiendus tibi est, ita videbis, quam
 „mirifice totum vetus testamentum ad ipsum
 „solum respiciat et omnia suauissime consonent;
 „ut fidei tandem te submittere necesse habeas,
 „intelligasque, quam recte loquatur Christus,
 „Io. V, 46. Moser, inquit, de me scripsit: Si ei
 „crederetis, mihi crederetis. Fugiamus igitur
 „omnes doctrinas, quæ Christum non docent.,
 §. IX.

Officium nostrum est, (1) Deo optimo Quodnam
 maximo pro verbo ipsius, in scriptura sacra nostrum
 comprehenso, et patefacta per illud benignif- officium
 sima ipsius voluntate de salute nostra sub hac in re?
 missas gratias agere, ipsumque de custo-
 diendo hoc præclaro deposito non ex sola
 consuetudine, sed ardentem et sincere rogare.
 (2) Ad veram eius intelligentiam a Deo Spi-
 ritum sanctum, abnegata omni sapientia pro-
 pria, submisit petere, Ps. CXIX, 18. 19.
 LUTHERVS in Io. cap. XVI. Tom. VII. Alt.
 fol. 209. a. „Licet scripturam habeas audias-
 „que, requiritur tamen ad eam Spiritus sancti

„patefactio, qui tibi audienti et legenti lumen
 „subministret, ut intelligas.“ (3) Scripturam
 sacram tractare ut verbum diuinum, adeoque
 non aliter atque cum summa reuerentia et
 attentione, sollicita etiam et sincera nostri
 exploratione, in primis cum ardenti diuinam
 voluntatem ex ea cognoscendi et exsequendi
 desiderio, legere, audire et meditari. Sirac.
 XIV, 22. 23. Matth. XXIV, 15. Iac. I, 25.
 Io. VII, 17. (4) Diuinas veritates non
 solum ratione et memoria, sed animo etiam
 comprehendere et custodire, eisque ad pro-
 gressus in nobis multos diuinæ vitæ fru-
 ctus locum relinquere. Iac. I, 21. Hebr. II, 1.
 IV, 2. 1 Tim. I, 18. 1 Cor. XIII, 2. Ps. CXIX,
 5. Matth. VII, 24. 25. Luc. VIII, 15. (5) Illi,
 tamquam vnicæ credendi et viuendi normæ,
 contra omnem humanæ doctrinæ ventum
 et deceptionem inhærere, omnia per Spiri-
 tum veritatis ad eam examinare, nec quid-
 quam accipere, nisi quod cum ea concordare
 instituto examine deprehendamus, vid.
 §. VII. n. 2. (6) Ex ea cum aliis piis et fide-
 libus Christianis crebros sermones miscere,
 nostrique adificationem quærere, Deut. VI,
 6-9. Ps. XXVI, 7. CXIX, 54. 79. Col. III, 16.
 (7) Maxime in certamine contra satanam
 verbo diuino, tamquam gladio Spiritus,
 nos armare, atque ita malum vincere. Eph.
 VI, 17. Matth. IV, 4. sqq. 1 Io. II, 14.

§. X.

§. X.

Solatium est, (1) quod scripta propheta-
rum et apostolorum firmo atque immoto ^{Quod-}
fundamento nobis sint, existente anguli ^{nam sola-}
cattum ?
pite ipso Iesu Christo, cui in fide et vita tuto
inniti et super quod exstrui possimus, Eph.
II, 20. 2 Petr. I, 19. (2) quod ad veram sa-
lutaremque eius intelligentiam cælestis Pater
Spiritus sanctum dare nobis velit petenti-
bus a se, Luc. XI, 13. Eph. I, 18. seqq. (3)
quod lucis suæ mensuram ad scripturam
recte intelligendam his postremis tempori-
bus augere, et speciatim cuilibet, agnita
veritate fideliter utenti, verbi sui mysteria
magis magisque retegere velit et patefacere,
Dan. XII, 4. 9. Matth. XIII, 11. 12.
(4) quod nulla nos possit premere afflictio,
nulla inuadere tentatio, in qua non tan-
tum consolationis ex verbo divino haurire
possimus, quantum satis est. Vid. §. VII. n. 4.
(5) quod, quum Deum, Dominum nostrum,
iam per speculum tantum cernamus per
ambages, aliquando ipsum, ut est, visuri,
et quemadmodum ab eo sumus recogniti,
recognituri simus. I Cor. XIII, 12. I Io. III, 2.

ARTICVLVS VNDECIMVS
DE
LEGE ET EVANGELIO.

§. I.

Posteaquam articulo antecedente de verbo Quomo-
Dei, do hic

articulus Dei, in sacra scriptura contento, generatim cum præ- edisseruimus; iam quoque pro *diuerso* eius cedenti *argumento*, quod in doctrina legis et euangelii consistit, illud consideremus par est.

§. II.

Per legem Per legem in scriptura generatim intelligitur doctrina, qua Deus hominibus aliquid præcipit vel interdicit, et qua illos ad perfectam obedientiam obligat, vel hanc minus præstantibus iustam pœnam denuntiat.

§. III.

Quotumplex est lex? Est autem lex diuina triplex, (1) *cærimonialis* seu *leuitica*: (2) *forensis* siue *politica*, et (3) *moralis*.

§. IV.

In quibus præceptis ad cultum Iudæorum leuiticum præcipue lex cærimonialis spectantibus, per quæ Deus populum iudaicum a reliquis gentibus omnibus distinxit, et Messiam cum officio et beneficiis suis varie adumbravit (qui posterior respectus ad euangelium, quod Deus προεπηγγέλματο, ante promisit, Rom. I, 2. pertinet.) Vnde ista lex tantummodo ad Christum vsque obligavit, qui illam morte ac resurrectione sua impleuit eiusque obligationem rescidit et abrogauit. In veteri testamento abrogatio ista prædicta est, Ier. XXXI, 31. Dan. IX, 27. Hof. III, 4. in nouo autem adhuc clarius testata, Io. IV, 21. 23. Act. XV, 10. 2 Cor. III, 7. 11. 13. Gal. IV, 3. 4. 9. 10. 31. V, 1-5. 6. Col. II,

16. 17. Eph. II, 11. Hebr. VII, 12. 18. 19. VIII, 7. seqq. IX, 10. X, 1. 4. XIII, 10. 13. *Optima et rectissima* huius legis interpretatio in ipsa sacra scriptura reperitur. Ita e. g. lex de circumcissione (Gen. XVII, 10.) explicatur Ier. IV, 4. Rom. II, 29. Phil. III, 3. Col. II, 11. De agno paschali (Exod. XII.) videatur interpretatio I Cor. V, 7. 1 Petr. I, 19. Io. XIX, 36. De tollendo ex ædibus fermento (Exod. XII, 15.) vid. Matth. XVI, 6. 11. 12. Marc. VIII, 15. I Cor. V, 6. 8. Gal. V, 9. De tabernaculo eiusque dispositione (Exod. XXVI, 33.) vid. Hebr. IX, 1. 12. Io. I, 14. De templo (1 Reg. VI.) vid. Ies. LVII, 15. I Cor. III, 16. VI, 19. 2 Cor. VI, 16. Hebr. III, 6. 1 Petr. II, 5. De velo (Exod. XXVI, 31. 2 Paral. III, 14.) vid. Hebr. X, 20. collat. Matth. XXVII, 51. De propitiatorio (Exod. XXV, 17.) vid. Rom. III, 25. Hebr. IV, 16. De confirmatione antiqui fœderis per sanguinem (Exod. XXIV, 8.) vid. Hebr. IX, 18. sq. Matth. XXVI, 28. De anniuersario summi pontificis in sanctum sanctorum introitu, cum sanguine facto (Leuit. XVI, 2. sqq.) vid. Hebr. VI, 19. 20. IX, 7. De sæpius iteratis sacrificiis (Leuit. XVI, 34.) vid. Hebr. X, 1. sqq. De lustratione per sanguinem et aquam (Exod. XXIX, 4. 20. 21.) vid. Io. XIX, 34. I Io. V, 6. Hebr. X, 22. De adspersione sanguinis (Leuit. XVI, 14.) vid. Hebr. X, 22. XII, 24. 1 Petr. I, 2. De cinere vaccæ rubæ (Num. XIX, 9. 17. 18.) vid. Hebr. IX, 13. 14. De

De crematione animalium sacrificialium extra castra (Exod. XXIX, 14. Leuit. IV, 5. 12.) vid. Hebr. XIII, 11. De sacrificio eucharistico (Leuit. VII, 12. 13.) vid. Ps. L, 23. Hebr. XIII, 15. 16. De capro piaculari (Leuit. XVI.) vid. 2 Cor. V, 15. Col. I, 22. De capro in deserto dimisso (Leuit. XVI, 21.) vid. Matth. IV, 1. Io. I, 29. De lepra eiusque purificatione (Leuit. XIII. XIV.) vid. Ps. LI. Ex quibus aliisque consimilibus locis inter se collatis apparet, legem futurorum bonorum umbram tantum habuisse, eorum autem corpus esse in Christo, per quem gratia et veritas praestita est. Ps. XL, 8. Hebr. X, 1. 7. Col. II, 16. 17. Io. I, 17.

§. V.

Per legem Lex *forensis* seu politica continet praeforensis cepta; quae ad administrationem rerum civilium et forensium in populo iudaico attinuerunt; quae pariter atque illa ad Christum respexit, unde etiam, ipso manifestato et paullo post eversa politia iudaica, abrogata est, nec eatenus christianos homines sub nouo fœdere obligat, utpote qui propter Dominum superioribus potestatibus earumque legibus, quatenus Deo non aduersantur, parere iussi sunt, Rom. XIII, 1. 1 Petr. II, 13. 14. Tit. III, 1.

§. VI.

Ad legem Ad legem *moralement* omnia praecepta spectant, quae omnium hominum officia et debita

bita erga Deum et proximum proponunt, quatenus
iisque, qui contra illa committunt, mortem præcepta
et execrationem denunciant, Deut. XXVII, spectant?

26. Gal. III, 10. 12. 2 Cor. III, 9. Quæ qui-
dem lex eadem illa est, quam Deus in prima
creatione menti hominis, beneficio con crea-
tæ diuinæ imaginis, inscripserat dederatque
ad vitam, Sirac. XVII, 9. Leuit. XVIII, 5.
Rom. VII, 10. X, 5. quam postea quoque,
per lapsum magnopere obscuratam, etsi non
penitus extinctam, Rom. II, 15. per ange-
lorum administrationem, et Moïsen inter-
nuntium, Act. VII, 53. Ps. LXVIII, 18. Io. I,
17. Gal. III, 19. magna cum maiestate et
gloria, audientibus et spectantibus vniuersis
Israelitis, denuo promulgauit, eaque æter-
nam atque immutabilem voluntatem suam
patefecit. Exod. XIX. XX. Hebr. XII, 18. 21.
IVTHERVS contra prophet. cælest. Tom.
III. Alt. fol. 47. b. „Nisi naturaliter in animo
„scripta exstaret lex, frustra doceretur et præ-
„dicaretur, nec ullius conscientiam adficeret.
„Intra ipsum hominem reperiatur et sentiatur,
„neceffe est, alioqui neminem de peccato con-
„vinceret. Quamquam diabolus hominum men-
„tes adeo excæcat et possidet, vt leges istas non
„semper sentiant. Hinc scribendæ et inculcan-
„dæ sunt, vsque dum Deus cooperetur et illu-
„minet, vt animo eas sic persentiant, vti so-
„nunt in verbo.„ De hac igitur lege in hoc
articulo proprie agitur, vtpote certo modo
illis

illis mediis adnumeranda, quibus Deus in reparatione hominis lapsi vituitur.

§. VII.

Quot

præceptis
hanc le-
gem Deus
compre-
hendit?

Decem præceptis hanc ita dictam legem moralem Deus comprehendit, et duabus tabulis lapideis digito suo inscripsit, Exod. XXIV, 12. XXXIV, 1. Deut. IX, 10. quæ Spiritus sanctus digito, pro gratiæ plenæ noui fœderis œconomia, per regenerationem ac renouationem, in carnis animi tabulis describuntur. Ier. XXXI, 33. Ezech. XXXVI, 26. 27. Hebr. VIII, 10. 2 Cor. III,

Quænam
summam
vtriusque
tabulæ?

3. 7. 8. Rom. III, 31. Summa vtriusque tabulæ hæc est, ut *Deum* toto corde, toto animo, tota mente, totisque viribus, *alterum* autem (amicum et inimicum, Matth. V, 43. 44.) ut nos ipsos *amemus*, Deut. VI, 5. Matth. XXII, 37. 38. 39. Marc. XII, 30. 31. Luc. X, 27. Rom. XIII, 8. 10. 1 Tim. I, 5. Vnde apparet, legem sanctam, iustam et bonam, hoc est, *spiritualem* esse, neque adeo mere externam morum honestatem, nec mere internam adfectuum coërcitionem et reformationem prauarum cupiditatum, sed perfectam prorsus hominis obedientiam, præceptis omnibus ac singulis constanter et sine ulla contraria cupiditate et inclinatione præstandam, requirere, Rom. VII, 7. 12. 14. Deut. XXVII, 26. Iac. II, 10. 11. Luc. X, 27. quæ legis proprietates interpretatione Christi, Matth. V. VI. VII. ipsiusque apostolorum,

I Io.

1 Io. III, 15. Eph. V, 5. Phil. III, 19. confir-
 matur. Vid. etiam Io. IV, 24. Prou. XXIII, 26.
 Ex quibus consequitur, post lapsum *ex lege*
non esse sperandam salutem; siquidem corru-
 ptissima hominis natura ei non solum non
 potest parere, sed hac ipsa etiam ad prauam
 concupiscentiam tanto magis incitatur. Gal.
 II, 16. III, 10. 11. 21. Rom. III, 19. 20. VIII,
 3. 7. VII, 8. 11. 14. 23. Nec regeniti, quam-
 diu in mortali corpore peregrinantur, illam
 secundum rigorem suum implere possunt;
 quemadmodum ex sequentium aliorumque
 scripturæ sacræ locorum consideratione pa-
 tet, Rom. VI, 12. 1 Cor. XIII, 9. 10. XV, 54-
 56. tamen si viribus spiritualibus, in regene-
 ratione sibi donatis et in vnione cum Christo
 perpetuo incrementibus, eam *vere* seruant,
 Io. XIV, 23. XV, 10. 1 Cor. VII, 19. 1 Io.
 II, 3. 4. III, 22-24. V, 1-3. 2 Petr. I, 3.
 Ezech. XXXVI, 25-27. ita, vt non *externe*
 solum turpioribus flagitiis se abstineant, Gal.
 V, 19-21. 24. 1 Io. III, 6. 9. et in bonis ope-
 ribus se exercent; Matth. V, 16. Rom. XIII,
 13. Phil. II, 15. 1 Petr. II, 12. Iac. II, 18. sed
interne etiam omnem vitiositatem prauas-
 que cupiditates detestentur, crucifigant, ene-
 cent, 1 Cor. IX, 27. Gal. V, 24. Rom. XII, 12.
 seqq. Col. III, 5. seqq. 1 Petr. II, 11. contra
 ea Deum aliosque homines sincere et ex
 animo ament. 1 Io. V, 1. 2. 3. Quæ omnia
 per depositionem veteris et induitionem

N

no-

noui hominis denotantur. Eph. IV, 22. 24.
 Col. III, 9. 10. *LV THERVS* Præf. in ep. ad
 Roman. Tom. V. Witteb. fol. 96. b. „Proinde
 „dicit cap. VII. Lex spiritualis est, ac si dicat,
 „si lex esset carnalis, aut moralis doctrina tan-
 „tum, operibus externis impleretur. Nam
 „quum spiritualis sit, id est, requirens adse-
 „ctum et spiritum, tum nemo implet eam, nisi
 „hilari corde et ardore quodam mentis et tota
 „adfectu ea, quæ lex mandet, faciat. Tale
 „vero cor nouum et ardentem et hilarem ad-
 „fectum cordis non ex tuis ullis viribus aut
 „meritis, sed sola operatione et adflatu Spiritus
 „consequere. Hic enim solus cor nouat et ho-
 „minem spiritualem facit, ut sic spiritualis
 „amet legem spiritualem, iamque non ex metu
 „aut amore commodi, sed hilari et voluntario
 „corde impleat, et quodam impetu feratur ad
 „liberaliter et sponte facienda ea, quæ sunt le-
 „gis. Sic intelligendum est, *LEX EST SPIRI-*
 „*TUALIS*, id est, lex non impletur nisi spiritu
 „et corde per Spiritum nouato. Vbi ergo ille
 „Spiritus et renouatio cordis per Spiritum
 „non est, ibi manet illa molestia et odium il-
 „lud legis, (quæ per se iusta, sancta est et bo-
 „na,) tantum abest, ut lex impleatur. Adfuesce
 „igitur phrasi huic et characteri Apostoli. Longe
 „enim aliud est facere opus legis et legem im-
 „plere. Nam opus legis est, quando sine gratia,
 „sine Spiritu bene incipimus operari, et cona-
 „mur legem implere ex viribus nostris seu li-
 „beri

„beri arbitrii. - Legem autem implere, est
 „facere ea, quæ lex mandat, corde hilari et
 „erecto et alacri, id est, sponte et ultro, Deo
 „vivere et bene operari, etiamsi nulla esset lex.
 „Tal' vero alacritas, hilaritas, et propensa
 „voluntas, ac ardens adfectus non contingit
 „cordibus, nisi per Spiritum vivificantem et
 „vinum eius impulsu ac agitationem in corde.-
 „Hinc et sola fides iustificat solaque legem im-
 „plet. Fides enim per meritum Christi impe-
 „trat Spiritum sanctum. Hic Spiritus cor no-
 „vat, exhilarat, excitat et inflammat, vt
 „sponte faciat ea, quæ vult lex. Ac tum de-
 „um ex fide, sic in corde efficaciter agente et
 „vivente, sponte fluunt opera vere bona.,

§. VIII.

*Euangelium generatim lætum nuntium, Euange-
 heic autem, quum legi opponitur, doctri-
 nam denotat, quæ nobis Christum proponit denotat?*
 et bona omnia, in Christo per fidem accipi-
 enda. Quæ bona summam consistunt in
 æterno, miserante et vniuersali amore Dei,
 in redemptione per Christum a peccato, mor-
 te, diabolo et orco, in reconciliatione cum
 Deo, in gratia iustificationis, regenerationis,
 sanctificationis et renouationis ad diuinam
 imaginem, nec non in beata communione
 Dei et Christi in hac et futura vita, Io. III, 16.
 Quæ omnia Paulus simul comprehendit,
 quando euangelium dicit esse δύναμις Θεῶς
 εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, diui-
 nam

nam potentiam ad salutem omni credenti,
Rom. I, 16.

§. IX.

Inter le-
gem et
euange-
lium qua-
nam con-
uenientia
reperitur?

Inter legem et euangelium certo modo
reperitur conuenientia quædam, et discri-
men. *Conuenientia* quidem præcipue ratione
(1) *diuinæ originis* vtrique communis. Lex
enim a Deo est, Exod. XX. Iac. IV, 12. nec
minus euangelium, Rom. I, 1. (2) *Ratione*
finis. Lex enim ad vitam a Deo data est,
vnde post lapsum propter hominis depraua-
tionem et ~~addeuoculæ~~ tantummodo ex acci-
denti mortem operatur, Rom. VII, 10. X, 5.
Gal. III, 12. Euangelium diserte vocatur
potentia diuina ad salutem, Rom. I, 16.

Quodnam
vero dis-
crimen?

Discrimen autem (1) *ratione patefactionis* et
cognitionis. Lex homini quodammodo na-
tura nota est, Rom. II, 15. Euangelii autem
cognitio ex sola reuelatione et illuminatione
Spiritus sancti existit, Rom. XVI, 25. I Cor.
II, 6. 7. (2) *Ratione argumenti*. Illa enim
amorem nostrum in Deum et alterum re-
quirit, vid. supra §. VII; hoc autem amorem
Dei et Christi in nos vna cum omnibus regni
gratiæ et gloriæ bonis commendat, *eximia*
et *maxima proponens promissa*, 2 Petr. I, 4.
vid. supra §. VIII. *LUTHERVS* Serm. in
Gal. III, 23. Tom. V. Alt. fol. 949. a. „*In*
lege requiritur, quod agendum nobis est, vr-
geturque opus nostrum erga Deum et alterum.
In euangelio autem ad dona siue ad largas
ele-

„eleemosynas, hoc est, ad capiendum fauorem
 „Dei eternamque salutem inuitamur. (3)
 Ratione promissionum. Promissiones enim
 legis de vita aeterna sub conditione perfectæ
 obedientiæ datæ sunt. Promissiones autem
 euangelii omne meritum operum excludunt,
 Rom. IV, 4. 5. XI, 6. ordinem pœnitentiæ et
 fidei tantummodo requirentes, sine vilo me-
 rito proprio, Io. III, 16. Luc. XXIV, 47. (4)
 Ratione virtutis et effectuum. Lex post lapsum
 non potest quempiam iustum efficere, nec
 vitam alicui conferre, Rom. III. IV. V. et X.
 Gal. II, 16. III, 21. sed tantummodo patefa-
 cit peccatum, Rom. III, 20. VII, 7. excitat
 peccatorum adfectus, com. 5. facit, vt ampli-
 ficetur peccatum, c. V, 20. vt sit quam pec-
 cantissimum, c. VII, 13. iram efficit, c. IV, 15.
 diffindit, Ier. XXIII, 29. occidit, 2 Cor. III, 6.
 exsecratur et damnat, com. 9. Gal. III, 10.
 splendorem habens intolerabilem, 2 Cor. III.
 13, vid. Exod. XX, 19. 21. Hebr. XII, 18-21.
 Vnde littera, 2 Cor. III, 6. 7. lex peccati et
 mortis dicitur, Rom. VIII, 2. Euangelium
 vero medicatur, obligat, soluit, consolatur,
 Ies. LXI, 1. viuificat, 2 Cor. III, 6. Spiritum
 ministrat, com. 8. iustitiam, com. 9. pacem,
 Eph. VI, 15. libertatem, Iac. II, 12. vitam et
 incorruptibilitatem, 2 Tim. I, 10. salutem,
 Rom. I, 16. excellenti, iucundo et tolerabili
 splendore prædita, 2 Cor. III, 9. 13. Matth.
 XVII, 2. (5) Ratione adplicationis. Lex pro-
 prie

prie pertinet ad saxeos, Ier. XXIII, 29. et indociles, Sirac. VI, 21. sceleratos et contumaces, impios et improbos, irreligiosos et profanos, 1 Tim. I, 9. eosque, qui sibi diuites videntur et dirati, Luc. X, 25 - 28. Matth. XIX, 17 - 20. vt miseriam suam agnoscant, et sub veris pœnitentiæ exercitiis gratiæ Christi ad iustificationem et sanctificationem fiant participes, Gal. III, 24. Euangelium vero ad pauperes spiritu, Matth. V, 3. lugentes, com. 4. elurientes, com. 6. male adfectos, c. IX, 12. laborantes et onustos, c. XI, 29. inopes, Ies. LXI, 1. fractos mente, l. c. Sionios lugentes, l. c. v. 3. dolentes secundum Deum, 2 Cor. II, 6. 7. 8. 11. VII, 10. 11. Bar. II, 18. vt consolationem ex eo percipiant, viuificentur, diuinaque potentia, quæ ad vitam et pietatem pertinet, impleantur, vid. num. 4. *LVTHERVS* Comment. ad Gal. III. Tom. V. Witteb. fol. 359. a. (Tom. VI. Alt. fol. 724.) „Deus est Deus humilium, miserorum, adfecto-
rum, oppressorum, desperatorum, et eorum,
qui prorsus in nihilum redacti sunt, eiusque
natura est exaltare humiles, cibare esurientes,
illuminare cæcos, miseros et adfectos consola-
ri, peccatores iustificare, mortuos viuificare,
desperatos et damnatos saluare. Est enim
creator omnipotens ex nihilo faciens omnia,
Rom. IV, 17. „Et Postill. Eccles. in Dominum III. Aduent. Tom. XIII. Lips. fol. 72. b. „Paupe-
res non sunt mendicæ et pauperes corpore. sed
„pau-

„pauperes spiritu, hoc est, qui non concupiscunt
 „nec amant opes, immo potius fractæ et ad-
 „sictæ mentes, quæ conscientie terroribus agi-
 „tata auxilium et consolationem tantopere de-
 „siderant et requirunt, et nec diuitias, nec ho-
 „nores temporales expetant, sed existiment, il-
 „lam solam rem fore sibi leuamento, si Deum
 „propitium habeant. Hæc vera paupertas spiri-
 „tus est. Hi ipsi sunt, quibus ista conecio adcom-
 „modatissima est et iucundissima. Hi ex orco
 „et a morte quasi liberati sibi videntur. Quæ
 distinctio et adplicatio legis et euangelii in
 ministerio ecclesiastico nihil non momenti
 habet, 2 Tim. II, 15. 1 Theff. V, 14. Ezech.
 III, 17-21. cuius de neglectu Deus summo-
 pere indignatur, Ies. III, 12. Ier. XXIII, 14.
 17. Ezech. XIII, 10. 11. 18. 23. coll. Gen.
 III, 4. 5. (6) Ratione *durationis*. Lex (quod
 ad execrationem et coactionem, non autem
 quod ad officium et debitum ex præscripto
 illius viuendi, et contra veteris hominis so-
 cordiam ea vtendi attinet) cessat apud cre-
 dentes, Rom. VIII, 2. 1 Tim. I, 8. 9. euang-
 elium vero manet, Rom. V, 21. 2 Cor. III,
 11. 13. coll. Hebr. VII, 24. XIII, 20. In
 hoc discrimine legis et euangelii discrimen
 vtriusque testamenti, siue fœderis Mosaici le-
 galis et fœderis euangelii in Christo, fundatur,
 Io. I, 17. Hebr. VII. VIII. IX. X. Gal. IV, 21. sqq.

§. X.

Officium nostrum est, (1) Deo pro volun- *Quodnam*
tatis secundum

hanc doctrinam
officium
nostrum?

tatis suæ per legem et euangelium facta revelatione submissas gratias agere, ex eaque elucescentem ipsius sapientiam, sanctitatem, iustitiam et misericordiam maxima cum reverentia admirari, vid. Deut. IV, 8. Act. VII, 53. 1 Petr. I, 12. (2) Ab ipso Spiritus sui sapientiam petere tam lege quam euangelio ita utendi, ut utriusque finis in nobis obtineatur. (3) Istam pariter et hoc diligenter meditari, et has doctrinas omnibus doctrinis et traditionibus humanis longissime præferre, utpote quibus Deus miracula et mysteria sua inuoluit atque recondidit, Ps. I, 2. LI, 8. CXIX, 18. Sirac. XXIV, 33-40. 1 Cor. II, 7. Rom. XVI, 25. Col. II, 8. De necessitate huiusmodi meditationis, et quomodo instituenda sit, notatu digna sunt verba *LUTHERI*, quæ speciatim in euangelium in die memoriæ nati Christi sacro, in Postill. Eccles. Tom. XIII. Lips. fol. 106. a. habet :
 „Euangelium, inquit, tam clarum et perspicuum est, ut non indigeat multa explicatione,
 „sed tantum diligenter perpendi, considerari,
 „altiusque in pectus demitti oportet. Neque
 „quisquam maiorem ex eo utilitatem percepturus est, quam qui, rebus omnibus repudiatis,
 „tranquillo et placido animo diligenter illud
 „introspexerit : sicut sol in aqua placida bene
 „conspicitur eamque calefacit, qui in aqua rapida et strepente non ita spectari potest et calefacere. Quare si heic illuminari et caleferi,

si

„si gratiam et miracula Dei videre, si animum
 „tuum accendi, collustrari, ad deuotionem et
 „letitiam excitari cupis, vade eo, ubi tranquil-
 „lus et sedatus sis, et imaginem istam penitus
 „comprende animo, et stupenda ac mirabilia
 „videbis prodigiisque similia.” (4) Speciatim
 per legem ad peccatorum et inde oriundæ
 miseriæ nostræ agnitionem nos perduct, ea-
 que ad ipsum Christum compelli sinere, vt
 diuinum fauorem, vitam et salutem ab eo
 peramus et impetremus, Gal. III, 24. Rom.
 III, 19. seqq. atque ita (5) bona, quæ in euang-
 elio nobis adnuntiantur et offeruntur, non
 aliter atque in diuino sinceræ pœnitentiæ
 ac viuæ fidei ordine acceptare et sperare,
 Luc. XXIV, 47. Act. XXVI, 18. (6) Illa
 omnibus caducis et apparentibus huius
 mundi bonis longè anteponere, eorumque
 cognitionem ad veram abnegationem et re-
 nouationem promptamque et lætam crucis
 Christi susceptionem adplicare, Hebr. XI,
 24-26. Phil. III, 7-14. Matth. XIII, 44-46.
 coll. Luc. XIV, 18. sqq. (7) Cauere, ne Spiri-
 tum ex doctrina euangelii indepti, ad infima
 egenaque rudimenta, a quibus liberati su-
 mus, denuo nos conuertamus, sed in libertate,
 in quam Christus nos adseruit, stare, et tam-
 quam cum Christo mortuos et resuscitados
 in ipso viuere, et supera sentire, Gal. III, 2.
 seqq. V, 1. seqq. Hebr. XIII, 9. 1 I. Col. II,
 16. 17. 20. III, 1. 2. Denique (8) omnem

euangelii abufum ad libertatem carnis, tamquam fumam fatanæ deceptionem, omni studio deuitare, Gal. V, 13. 1 Petr. II, 16. 2 Petr. II, 18-22. Epist. Iud. com. 4. Rom. XVI, 18. Apoc. II, 20.

§. XI.

Quodnam Lex in fe spectata homini nihil consolatio-
solatium? tionis adfert, quemadmodum ex indicatis
eius effectibus liquet. *Solatium* autem, quod
ex euangelio fluit, consistit in eo: (1) Quod
Christus ex voluntario amore legi se subiici
passus sit, et hoc modo non solum ea, quæ
in lege cærimoniali adumbata fuerunt, im-
pleuerit, sed nos etiam eo ipso ab execra-
tione et coactione legis in genere adserue-
rit, Matth. V, 17. 18. Gal. III, 13. IV, 4. 5.
Rom. VIII, 3. Act. XIII, 38. 39. (2) Quod il-
lam vi noui fœderis etiam in pectora nostra
dare et cordi inscribere adeoque in nobis
stabilire velit. Vid. supra §. VII. *LVTHERVS*
Postill. Eccles. Dom. XVIII. Trinit. Tom. XIV.
Lips. fol. 341. (a) a. „Deus non ideo peccatori-
bus propitius in eosque misericors est, quod
„legem non seruant, nec quod tales manent,
„quales sunt, sed condonat et remittit pecca-
„tum pariter et mortem propter Christum, qui
„totam legem impleuit, vt hoc ipso cor ita dul-
„ce reddat et per Spiritum sanctum incendat
„et agat, vt ipsum indies magis magisque re-
„damare incipiat. Ad hoc enim Spiritus san-
„ctus nobis datur, qui nouam flammam et
„ignem

„ignem in nobis succendat, nimirum desiderium amoremque diuinorum praeceptorum. Hoc in regno gratiae inchoari debet, et continuari ad extremum usque diem, ubi non amplius gratia et condonatio, sed mera veritas et perfecta obedientia vocabitur.” (3) Quod promissiones eius non in requisita a nobis perfecta legis impletione, sed in fide in Iesum Christum, nitantur, Rom. III, 21. 30. IV, 24. 25. Gal. III, 11. (4) Quod viuia thesaurorum euangelicorum cognitio non modo animum, legis malleo fractum et sauciatum, consolari et tranquillare, sed omni etiam robore, ad vitam diuinam et incrementum necessario, replere valeat, vid. supra §. IX. n. 4. 5. it. I Petr. II, 2. 3. (5) Quod in gustatione et fruitione istorum bonorum et thesaurorum gratiae vera beatitas sita sit, quae omnem eamque summam filiorum huius saeculi felicitatem longissime superat, et, si quis in diuino gratiae foedere manet, maiori semper in claritate elucet, nec umquam ei auferenda, illic autem plene agnoscenda et manifestanda est, vid. §. X. n. 6. Hebr. XII, 22-24. Luc. X, 42. Rom. VIII, 18. 32. 2 Cor. IV, 17. I Io. III, 1. 2. (6) Quod omnium promissorum, quorum perfecta impletio ad aeternitatem spectat, certo et vere participes futuri sint. Eph. II, 7. 2 Cor. I, 20.

ARTICVLVS DVODECIMVS
DE
CLAVIBVS CAELORVM.

§. I.

Ad legis et euangelii considerationem speciatim *doctrina de clauibus caelorum*, siue de clauē ligante et solvente, referenda est.

§. II.

Per clauēs caelorum et soluere *sensu latiori* idem illud intelligitur, quod Christus vocat peccata remittere, et peccata retinere, Io. XX, 22. 23. Speciatim autem spiritualis illa vis et potestas ecclesiae Iesu Christi hoc in mundo per eas indicatur, qua membra sua, pro diuersa eorum conditione, vel retentis peccatis, communione sua excludere, vel remissis peccatis, in eandem rursus recipere potest; quemadmodum e sequentibus scripturae locis, inter se collatis, apparet, Matth. XVI, 19. XVIII, 15-20. Io. XX, 22-23. 1 Cor. V, 1. sqq. 2 Cor. II, 5-11.

§. III.

Vnde ecclesiae ista vis ac potestas? Ista ecclesiae Christi vis ac potestas *ab ipso Deo* est, qui per eam tam iustitiae suae in malitiosos peccatores, quam intimae misericordiae erga resipiscentes documenta in terra dare voluit. Speciatim *Iesus Christus* est, qui eam, pro data sibi a Patre absoluta et infinita potestate in caelo et in terra, ecclesiae suae

suæ tamquam caput illius impertiuir, nomine et virrute Spiritus sui exercendam, 1 Cor. V, 4. 2 Cor. II, 10. Vid. loca allegata, coll. Apoc. III, 7.

§. IV.

Et quidem *uniuersa ecclesia Christi*, et Potestas
cætus quisque christianus vbique locorum clauium
in specie, hanc potestatem accepit, ex præ- cuinam
scripto Christi administrandam, quemadmo- credita?
dum ex collatione sequentium locorum
Matth. XVIII, 18. 19. et 1 Cor. V, 12. 13. 2 Cor.
II, 6. 10. liquido constat. Vbi notandum est,
ecclesiam hanc spirituales suam potestatem
modo ordinario per *diuini verbi ministros*
exercere, quibus vero ad rectam eius admi-
nistrationem Spiritus sanctus, tamquam spi-
ritus precum, fortitudinis, caritatis et fru-
galitatis (σωφροσύνη) omnino necessarius
est, quemadmodum ibidem ex Io. XX, 22.
Matth. XVIII, 19. 1 Cor. V, 4. coll. 2 Tim.
I, 7. patet. *LUTHERVS* Postill. Eccles. in
Domin. Quasimodogeniti, Tom. XIII. Lips.
fol. 549. a. „Ad istam vim potestatemque ex-
ercendam et gerendam singularis virtus, non
humana quidem, sed diuina requiritur; unde
illis (discipulis) hanc in rem non gladios et
ensēs ministrat, nec eos armatura et mundanis
opibus instruit, sed adflans dicit eis: Accipite
Spiritum sanctum; ut nimirum sciant, hoc
officium et has opes non ex propria potestate,
sed ex ipsius potestate administrari per Spiritum
san-

san-

„sanctum, qui per officium et verbum ipsorum
 „operari velit; ita ut sit et vocetur officium
 „Spiritus sancti, qui a Christo ad hoc ipsum
 „donatur, ut licet infirma videatur oratio, nec
 „nisi tenuis halitus ex ore hominis, tanta tamen
 „vis et potentia in eo insit, ut peccatum, iram
 „diuinam, mortem et orcum ei cedere oporteat.”

§. V.

Vsus clavis ligantis generatim hic est, quando impœnitentibus et infidelibus publicè vel priuatim Dei ira et pœna propter ipsorum peccata denuntiatur: *speciatim* autem eiusmodi actum denotat, vbi ecclesia quædam christiana hominibus, in publicis peccatis et scandalis viuentibus et contra omnes hortationes et admonitiones constanter repugnantibus, nulla habita personarum ratione, non tantum peccata sua in nomine Iesu Christi, et in virtute Spiritus eius retinet, Io. XX, 23. eosque extraneos et publicanos, Matth. XVIII, 17. immo inimicos et contemtores Christi ipsiusque ecclesiæ publicè declarat, 2 Thess. III, 15. sed etiam indignos iudicat, qui Christiani vocentur et mutua reliquorum Christianorum communione ac familiaritate vtantur, 1 Cor. V, 9. 11. et tamquam vetus fermentum expurgat et remouet, com. 2. 7. 13. collat. Gen. IV, 14. Apoc. XXII, 15. vsque dum resipiscant, Deoque sese submittant. *Vsus autem clavis soluentis* in eo situs est *generatim*, quod pœni-

Vsus clavis soluentis quis?

ren-

tentibus et credentibus gratia Dei, remissio peccatorum et sempiterna vita ex euangelio adnuntiatur: deinde *specialior* ille *actus* eo ipso indicatur, quando ecclesia quædam christiana illis, quos modo dicta ratione ligarat, vitæ emendatæ satis perspectis signis ac fructibus, nomine Iesu Christi non solum peccata remittit solatiumque impertit, 2. Cor. II, 7. 10. sed eos quoque in mutuam ac fraternam communionem denuo recipit, com. 8. vt adeo hic actus soluendi ad antegressum actum ligandi respiciat. Vid. Matth. XXI, 2. Io. XI, 44.

§. VI.

Proinde ex Christi ipsiusque apostolorum In quos præscripto clauis ligans, indicato sensu stri- clauis li-
ctiore summa, adhibenda est non in imbecil- gans adhi-
los fide, quibus opitulandum est, Rom. XIV, benda?
1. nec in aliquo delicto anticipatos, quos cum animi comitate refici oportet, Gal. VI, 1.
nec in incompósitos et inordinatos, qui vt fratres admonendi sunt, et quorum a com-
mercio abstinendum est, quos tamen pro inimicis haberi non oportet, 1 Theff. V, 14.
2 Theff. III, 14. 15. nec in hypocritas, qui ad tempus vsque messis, tamquam malæ herbæ inter frumentum, consistunt, Matth. XIII, 28-30. nec in extraneos, de quibus iudicaturus est Deus, 1 Cor. V, 10. 13. sed in eos tantum, qui, *quum fratres nominentur, in publicis tamen flagitiis et scandalis vi-
bunt,*

eunt, nec ullis fraternis aut paternis admonitionibus locum relinquunt. Matth. XVIII, 17. 1 Cor. V, 9, 11. In sensu autem latiore usus eius ad omnes omnino, alienum a resipiscencia animum gerentes, spectat, siue publicis vitiis et sceleribus se contaminent, siue internam animi prauitatem externa morum honestate regant ac velent. Ex quibus vi oppositi sequitur, *usum clavis soluentis* in acceptione strictiore apud illos tantummodo locum habere, qui spiritualiter ligati ad sese reuertuntur, secundum Deum dolent, peccata sua serio detestantur, diuinum iudicium metuntur, veraque resipiscencie animique in melius mutati signa produnt, 2 Cor. II, 7. sicuti in *sensu latiore* omnibus vere resipiscantibus et credentibus generatim applicari debet.

§. VII.

Finis huius spiritualis potestatis quis?

Finis huius spiritualis potestatis, intuitu *clavis ligantis* est, (1) vt ne per publica offendicula et peccata vnius atque alterius membri ecclesie vniuersum corpus aut plura eius membra corrumpantur, inficiantur et fermententur; 1 Cor. V, 6. (2) vt ne ecclesia eiusque antistites, propter non satis ostensam seueritatem et zelum diuinum aduersus peccata, hæc ipsa participant, Deique iram in se concitent; Ezech. III, 17. 18. 20. 1 Tim. V, 22. (3) vt extraneis occasio præscindatur nomini Dei et doctrinæ Iesu Christi,

fti, propter offendicula eorum, qui se pro-
 fidentur Christianos nec sunt, conuiciandi in
 suaque incredulitate sese obfirmandi; (4) ut
 ligatus seuëriore ista disciplina corrigatur,
 nec a Dei et sanctorum suorum communione
 æternum excludatur, aut certe, si in impro-
 bitate sua perseveret, excusationem nullam
 habeat, 1 Cor. V, 5. 1 Tim. I, 20. *LV THE-*
RVS sermon. de Excommunicat. Tom. I. Alt.
 fol. 476. a. „Hinc sequitur, excommunicatio-
 „nem per se non perdere, damnare aut peio-
 „rem reddere quempiam, sed querere, ut in-
 „veniat et reducat perditum et damnatum.
 „Natura enim et indoles pænæ omnis est, pecca-
 „tum corrigere; excommunicatio vero est pæ-
 „na medicinalis et materna.„ Item de virtute
 Excommunicat. Tom. I. Ienens. lat. fol. 165. a.
 „Excommunicatio sic est temporalis et corpora-
 „lis, ut tamen ordinetur non contra, sed pro
 „communione interiore, vel reparanda, si iusta
 „lata fuerit, vel augenda, si iniusta fuerit. Pro-
 „batur hoc per apostolum 2 Cor. XIII, 19. Agam
 „secundum potestatem, quam dedit Dominus
 „mihi, non in destructionem, sed adificationem.
 „Hoc certe intelligo, quod non possit destruere,
 „sed tantummodo edificare per ecclesiasticam
 „potestatem. Nam et illum fornicarium, 1 Cor.
 „V. sic excommunicauit et satanæ tradidit, ut
 „spiritus nihilominus saluus fieret.„ Et paullo
 post: „Quum medicinalis sit excommunicatio,
 „non mortalis; disciplinans, non eradicans,
 O „dum

„dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat: caute provideat ecclesiasticus iudex, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis.“ Intuitu autem clavis soluentis, finis est, (1) ut ne homo de peccatis vere dolens et resipiscens, si a mutua Christianorum communione constanter excludatur, a satana circumuentus immodico dolore conficiatur; 2 Cor. II, 7. 10. 11. (2) ut Deus per hanc potestatem in ecclesia sua et ab extraneis, non tantum ut sanctus et iustus, sed etiam ut misericors et facilis pater in omnes resipiscences, agnoscat et laudetur; Ier. IX, 24. (3) ut hoc modo in filiis etiam et seruis Christi miserans amor et tolerantia Dei et Christi sese exserat et conspicatur.

§. VIII.

Valor et
efficacia
legitimi
usus cla-
vium in
quo con-
sistit?

Valor et efficacia legitimi usus clauium in eo consistit, quod, quidquid ecclesia Christi vel ministri illius dicto modo agunt, a Deo et Domino nostro Iesu Christo ratum et firmum habeatur, ita ut, quaecumque in terra ligant, in caelo quoque ligata sint, et quaecumque solunt, in caelo soluta sint. Matth. XVI, 19. XVIII, 18. Io. XX, 23. coll. Matth. VI, 10.

§. IX.

Quid ex
hac do-
ctrina se-
quitur?

Ex hac doctrina praecipue sequitur, (1) ministros ecclesiae iis, qui de plena offendi- culi vitae ratione conuinci possunt, in eaque pe-

pe-

petulanter persistunt, non posse, salua hac spiritali potestate, peccatorum veniam adnuntiare, aut ad percipiendam sacram eucharistiam illos admittere. *LVTHERVS* admonit. ad Mæno-Francofurtenses, Tom. VI. Alt. fol. 117. a. „*Quum parochum fidum Christi ministrum esse oporteat, quantum potest, cauere debet, ne sacramentum porcis proiciat.*„ Item in admonitione post serm. Dominic. Inuocauit: „*Si qui sunt manifesti peccatores, quos nec princeps, nec inferior magistratus punit, e. g. si qui publice in platea conuiciantur, debacchantur, scortantur et rixantur, illis sacramentum dandum non est, ante, quam cum altero redierint in gratiam.*„ *Quid opus est, me aliena peccata participare, quum mea ipsius peccata satis mihi faceant negotii? Quodsi vero te ita comparatum ad sacramentum sciens prudensque admisero, peccata tua in me recipio, eorumque me redodo participem. Cur, quæso, tanta me induciferem amentia, ut tua causa æternum subirem supplicium?*„ (2) Vtitam pœnitentiam ecclesiasticam non ad sola peccata, contra sextum decalogi præceptum commissa, adstringendam, sed ad reliqua etiam publica peccata et flagitia vniuersa ex mandato apostolico, 1 Cor. V, 11. extendendam esse. (3) Ad illam non nisi eos admittendos esse, in quibus indubitata veræ pœnitentiæ signa obseruentur. (4) Legitimum clauium usum

O 2

nec

nec cum papali potestate, nec cum pœna et ignominia ciuili confundendum esse, sed ab illa merito distinguendum. (5) Non nisi inculpato diuinoque Spiritu præditos homines idoneos esse, qui vel in collegium ministrorum vel iudicium ecclesiasticorum, a quibus potissimum hæc potestas nomine ecclesiæ administratur, cooptentur. (6) Impiam plenamque offensionis vitam, vbique inter Christianos vigentem, maximam partem ex neglecto huius potestatis usu existere, adeoque maxime necessarium esse, legitimum Christique ordinationi consentaneum eius exercitium instaurari et frequentari. *LUTHERVS* de carimoniis et excommunic. restituend. Tom. VIII. Alt. fol. 342. b. „*Bene*
„*ageretis, mihi que gratum foret, si excommuni-*
„*cationem ad prisce ecclesiæ exemplum restau-*
„*rare possētis. Adsit vobis Deus, Dominus noster,*
„*et rem feliciter succedere iubeat ! Maxime ne-*
„*cessaria esset ista disciplina; petulantia enim,*
„*qua quisque agit, quod lubet, manifeste inuā-*
„*lescit, omnibusque in locis feruet illiberalis*
„*quæstus ac turpis pecuniæ nundinatio.*„

§. X.

Quod-
nam offi-
cium no-
strum se-
cundum
hanc do-
ctrinam ?
Officium nostrum est, (1) ex hac doctrina summe corruptum ecclesiæ statum cognoscere et fateri, de eiusque emendatione Deum submisce rogare, et, quidquid Spiritus diuini virtute et sapientia possumus, ad efficiendam eam conferre. Psalm. XII. LXXIV. LXXX.

LXXX. (2) Ex huius doctrinæ cognitione, secundum quam tanta seueritas tantusque zelus aduersus malum requiritur, discere Dominum et iustitiam eius tanto magis reuereri peccatumque fugere. (3) Non solum flagitia et peccata publica, sed omnem etiam simulationem et fallaciam vitare, quum Deus hanc non minus adducturus sit in iudicium, quam ecclesiæ suæ de externis scandalis spirituale iudicium demandauit. (4) Resipiscentibus et ad frugem redeuntibus peccatoribus, iisque omnibus, de quibus querela facta fuerit, eam misericordiam priuatim tribuere, quæ ab vniuersa ecclesia Christi generatim requiritur, Matth. XVIII, 21. sqq. Gal. VI, 1. Col. III, 13. Eph. IV, 32.

§. XI.

Solutium verorum ecclesiæ membrorum Quod est, (1) quod ex hac a Christo ecclesiæ donam solatium verorum membrorum ecclesiæ? nata potestate de ardenti eius amore, nec non de arcta sui vnione et communionem cum ipso et tota sacrosancta Trinitate certi esse possint; (2) quod Deus in vere pœnitentes peccatores multo magis misericordem sese præbiturus sit, quum id ipsum ab ecclesia sua postulet; Ion. IV, 10. 11. Ies. XLIX, 15. LXVI, 9. (3) quod dies futurus sit, quo filius hominis per angelos suos omnes filios malos colliget, adeoque bonum a malo perfecte separabit; Matth. XIII, 30. 38. 40-43. XXV, 32. 41. Ps. I, 5. Apoc.

XXI, 27. XXII, 15. (4) quod hæc a Christo ecclesiæ suæ donata, sed per multas ætates valde obscurata et labefactata, δόξα, gloria et potestas in illo die patefacienda sit, quippe in quo sancti iudicium de mundo et angelis facturi eosque a communione Christi et gloria eius exclusuri sint. 1 Cor. VI, 2. 3. Pf. CXLIX, 6-9.

ARTICVLVS DECIMVS TERTIVS

DE

SACRAMENTO BAPTISMI.

§. I.

Inter
hunc et
antece-
dentes ar-
ticulos
quam
connexio?

In tribus antecedentibus articulis verbum diuinum, tamquam salutis medium, secundum diuerfos respectus consideramus; nunc de sacramentis etiam agendum est.

§. II.

De voca-
bulo sa-
cramenti
quid ante
monen-
dum?

De vocabulo *sacramenti* monendum est ante, non esse id biblicum, sed in ecclesia receptum, per illudque eiusmodi intelligi actionem, qua Deus, per externa ab se ipso mandata signa et media, inuisibilia sua et cælestia bona nobis exhibet; vt adeo ad sacramentum tam res *terrena et visibilis*, quam *cælestis et inuisibilis* requiratur. *LUTHERVS* Comment. in Genes. c. XXV. Tom. VI. Witteb. fol. 374. a. (Tom. IX. Alt. fol. 759. a.) „*Sacramenta et res sacra non propter præsen-*
tem

De sacramento baptismi. 215

„tem vitam instituta sunt, sed ideo, ut sint
 „preparatio quaedam sacra rerum futurarum.
 „Euangelio enim preparor, renascor, inno-
 „vor ad futuram vitam.”

§. III.

In veteri testamento erant circumcisio et Num in
 agnus paschalis, quæ sensu indicato vocari vtroque
 solebant sacramenta; quorum de institutione testamen-
 vid. Gen. XVII. et Exod. XII. quæ vero in to istius-
 Christo, quem adumbrarunt, impleta sunt modi sa-
 et ablata, vid. supra Part. II. Artic. XI. §. IV. cramenta
 quorum in locum in nouo testamento bap- instituta?
 tismus, dictus *περιτομή ἀρχαιοτέρας*, cir-
 cumcisio non manu facta, Col. II, 11. et cæna
 Domini, in qua verus agnus paschalis man-
 ducatur, successerunt. Vtrumque confi-
 derandum est distinctius.

§. IV.

Ad institutionem baptismi quod attinet, Auctor
 auctor eius Deus ipse est, quemadmodum baptismi
 partim ex mandato, quo Ioannes baptista quis?
 instructus fuit, Io. I, 33. partim ex modo
 baptizandi, Matth. XXVIII, 19. partim etiam
 ex illustri patefactione ad Iordanem fluvium,
 c. III, 16. 17. liquet. Speciatim *Christus Iesus*
 is est, qui tum ante tum post resurrectionem
 suam, paullo ante gloriosam ascensionem
 in caelos, baptismum et constans exercitium
 eius inter omnes gentes discipulis suis in-
 iunxit, eaque in re acceptam a Patre *ἐξουσίαν*,
 potestatem et gloriam exercuit et manifesta-

vit, Io. III, 22. IV, 1. 2. Matth. XXVIII, 18-20. suo etiam exemplo, quum ad perfungendum omni iustitia a Ioanne in Iordane baptismum suscepit, eum confirmavit et sanctificavit, c. III, 13. sqq. Marc. I, 9. sqq. Luc. III, 21. sqq. Io. I, 32. sqq. coll. Luc. VII, 29. 30. Vi huius institutionis baptismus præcipue *doctoribus* et *ministis ecclesiæ* demandatus est, illis vero absentibus, ab *aliis* etiam, extra ministerium ecclesiasticum constitutis, *religiosis viris* vel *feminis*, iure spiritualis sacerdotii administrandus, Gal. III, 28. quem admodum mulieres in veteri testamento, incidente certa quadam necessitate, natos suos ipsæ circumciderunt, Exod. IV, 25. 2 Macc. VI, 10. Ex ista etiam institutione apparet, baptismum pro *omnibus hominibus* esse institutum, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. eumque *eis ὄνομα*, in nomen (hoc est, ex mandato, virtute et ad communionem) Patris, Filii et Spiritus sancti peragendum esse; denique externum et visibile signum baptismi *veram ac naturalem aquam* esse oportere. Io. III, 5. 22. 23. Act. VIII, 37. 38. X, 47. 48. 1 Petr. III, 20. 21. 1 Io. V, 8.

§. V.

Virtus, efficacia et utilitas baptismi ex præclaris proprietatibus, quæ ei attribuuntur, cognoscitur. Ira illi adscribitur venia peccatorum, Act. II, 38. ablutio peccatorum, c. XXII, 16. purificatio, Eph. V, 26. regeneratio

De sacramento baptisimi. 217

ratio et renouatio, Io. III, 5. Tit. III, 5. insi-
tio in Christum, Rom. VI, 3. 4. 5. Gal. III, 27.
translocatio in communionem sacrosanctæ
Trinitatis, Matth. XXVIII, 19. et mutuam
communionem fidelium, 1 Cor. XII, 13. Gal.
III, 27. 28. donatio salutis, Tit. III, 5. 1 Petr.
III, 20. 21. quæ salus in omnibus illis bonis
sita est, quorum in baptismo reddimur par-
ticipes. Hæc autem baptisimi virtus non ex
aqua in se spectata, nec ex dignitate bap-
tizantis proficiscitur, sed ex diuina institutione
et virtute mortis ac resurrectionis Iesu Christi,
quam Spiritus sanctus, secundum plenam
gratiæ promissionem, baptismum suscipienti
per baptismum adplicat, Marc. XVI, 16.
Rom. VI, 3-5. Col. II, 12. *LUTHERVS*
Catech. mai. Tom. V. Witteb. fol. 638 a.
(Tom. IV. Alt fol. 511. b.) „Nemo in hoc ba-
ptizatur, vt princeps euadat, verum sicut
verba sonant, vt saluus fiat. Ceterum saluum
fieri scimus nihil aliud esse, quam a peccati,
mortis et diaboli tyrannide liberari, in Christi
regnum deferri, ac cum eo immortalem vitam
agere. Ex hoc iterum non obscure perspicis,
quanti momenti ac pretii baptismus habendus
sit, in quo tam inestimabilem tamque ineffa-
bilem thesaurum consequimur. Atque hoc
ipsum sufficienter indicat, baptismum solam
ac simplicem aquam esse non posse. Eius enim
virtutis simplex aqua esse non potest; verum
enim vero Dei verbum facit, tum quod (vt
O 5 „supra

„supra diximus) Dei nomen in illo sit. Iam
 „ubique Dei nomen est, ibi vitam quoque
 „et summam felicitatem esse necesse est, ut non
 „iniuria diuina, beata, fructuosa, et omnis
 „gratiæ plena aqua dici possit. Etenim verbi
 „diuini accessione eam virtutem consequitur,
 „ut *λειτουργία πάλιν γενέσθαι*, hoc est, lauacrum
 „regenerationis, quo nomine Paulus ad Titum
 „III. baptismum vocat, dici mereatur. Ista
 autem virtute nemo vere gaudere, aut eius
 particeps manere potest, nisi stipulationem
 bonæ conscientiae apud Deum custodiat;
 qua de re vid. infra §. VII.

§. VI.

Quid de
 mystica
 baptismi
 significa-
 tione no-
 tandum?

Quemadmodum baptismus variis figuris
 ac typis, exempli causa, aqua diluuii, 1 Petr.
 III. 20. 21. transitu Israelitarum per mare
 rubrum et Iordanem fluuium, 1 Cor. X, 2.
 Ios. III. IV. nube, 1 Cor. X, 2. et baptismo
 Naamanis, 2 Reg. V, 14. præfiguratus fuit;
 quemadmodum etiam baptismus Christi vna
 cum mirificis circumstantiis mortem ipsius,
 sepulturam, resurrectionem, adscensionem,
 Spiritus sancti effusionem, et euangelii sub
 vniuerso cælo propagationem adumbravit:
 Ita baptismus etiam noster mysticam habet
 significationem, quæ maxime ex ratione bap-
 tizandi, priscis ecclesiæ noui testamenti tempo-
 ribus vsitata, (omnimoda videlicet submersio-
 ne sub aquam, et extractione ex aqua,) cogno-
 scitur, ad quam Paulus Rom. VI, 3. sqq. et Col.

De sacramento baptismi. 219

II, 12. respicit. Significatio autem baptismi
 fita est (1) in eo, quod ex viribus mortis ac
 resurrectionis Christi, nobis in eo donatis,
vetus homo, ut loquitur B. *LV THERVS*, in
 nobis *submergi* et exstingui debeat vna cum
 omnibus peccatis et malis concupiscentiis,
 atque *rursus* quotidie *emergere* ac resurgere
novus homo, qui in iustitia et puritate coram
 Deo vivat in æternum, Rom. VI, 4. Eph. IV,
 22-24. Col. III, 1.2.3.5.8.10. *LV THERVS*
 Conc. I. de sacram. baptismi, Tom. I. Ien.
 latin. fol. 319. b. (Tom. I. Alt. fol. 311. a.)
 „Sacramentum vel signum baptismi, id quod
 „videmus, breui perficitur. Verum significatio
 „eius et spiritualis baptismus, demersio scilicet
 „peccatorum, illa per hanc totam vitam durat,
 „et non nisi in morte perficitur. Tum enim
 „vere demergitur homo in baptismum, et vere
 „fit hoc, quod baptismus significat. Non igitur
 „hæc vita aliud est, quam perpetuus baptismus
 „spiritualis, donec moriamur, et adiudicatur
 „morti is, qui baptizatur. Perinde atque si
 „dicat sacerdos, quum baptizat: Ecce, tu nihil
 „aliud es, quam caro plena peccatis, demergo
 „itaque te in nomine Dei, et sententiam mortis
 „contra te in eodem nomine fero, ut tecum
 „omnia peccata tua moriantur et demergan-
 „tur., Item Catech. maior. Tom. V. Witteb.
 fol. 639. a. (Libb. Symbol. p. 548. edit. Lips.)
 „Christiani vita nihil aliud sit, quam quotidia-
 „nus quidam baptismus, semel quidem inceptus,
 „sed

sed qui semper exercendus sit. Ita enim fieri
 „necesse est, ut subinde veteris Adami sordes
 „repurgentur atque eluantur, ut novi homi-
 „nis vita et forma prodeat. Quid autem est
 „veteris homo? Hoc nimirum est, quod ab Ada-
 „mo, patre nostro, nobis successione quadam
 „hereditaria innatum est, scilicet, quod sumus
 „iracundi, immites, invidi, luxuriosi, auari,
 „pigri, superbi, increduli, breuiter, omnibus
 „vitiis contaminati, et in quibus natura nihil
 „boni inest. Iam in Christi regnum delati, hisce
 „vitiis quotidie decrescendum est, ut subinde
 „magis atque magis mitiores, liberaliores, pa-
 „tientiores, mansuetiores fiamus, semper ali-
 „quid auaritie, odio, inuidentie, superbie,
 „atque id genus vitiis detrahentes. Et hic est
 „rectus baptismi usus inter Christianos, per
 „aquam merfonem significatus. Et fol. 640. a.
 (LL. Symb. p. 551.) „Eam ob rem cuique ba-
 „ptismus ita habendus est, ut amictus quotidia-
 „nus, quo indutus semper debet incedere, ut
 „numquam non in fide eiusque fructibus inue-
 „niatur, ut, coercitis veteris hominis concu-
 „piscenciis, in nouo adolescat. Si enim Chri-
 „stiani perhiberi contendimus, baptismi opus
 „sedulo nobis exercendum est, vnde Christiani
 „adpellationem promeremur. Si quis autem ex-
 „ciderit, ille iterum curet accedere. (2) Quod
 tota vita Christianorum vita crucis sit, ex
 qua autem liberatio speranda, vid. Luc. XII,
 50. Matth. XX, 23. Pf. XLII, 8. 9. (3) Quod
 qui-

De sacramento baptismi. 221

quidem corporaliter moriantur, ex morte tamen in gloria Patris et Christi resuscitandi sint, 1 Cor. XV, 29. *LVTHERVS* Conc. I. de sacram. baptismi, Tom. I. len. latin. fol. 320. a. (Tom. I. Alt. fol. 311. b.) „Vides igitur, Christiani vitam nihil aliud, quam initia quedam a baptismo feliciter et sancte moriendi, donec hoc corpus intereat. Vult enim Deus hominem in nouissimo die resurgere, ut tum plene notus sit. -- Quum in nouissimo die hac caro resuscitabitur, tum demum ceptum opus absoluet Deus, et liberi a peccato et morte aliisque malis resurgemus, et in aeternum viuemus, tam hoc corpore, quam etiam anima purificati. Tum demum perfecte e baptismi fonte leuabimur et renascemur, perpetuo in caelo victuri.”

§. VII.

In baptismo (sicut etiam in circumcisione Quodfactum) initur *foedus*, quo Deus triunus sese nam fecum omnibus bonis suis homini, baptismum ^{dus in baptismo} suscipienti, donat; homo autem vicissim ^{Deum inter et hominem} peccati et satanae consortio renuntiat, Deoque triuni se consecrat, dicat et adscribit, ^{minem} 1 Petr. III, 20. 21. Quod *foedus ex parte Dei* initur? stabile est, vid. Ps. CV, 8. Hof. II, 19. 20. Rom. XI, 29. 2 Cor. I, 20. homo autem sua ipsius culpa *irritum* in se reddit, ubi peccato rursus seruit, cui in baptismo mortuus est, 2 Petr. II, 20-22. Rom. II, 25. *LVTHERVS* Part. III. Homil. de baptismo, Tom. VII.

Wit-

Witteb. 366. b. (Tom. VI. Alt. fol. 459. a.)
*„Quocirca explora et excute vitam tuam, quo-
 „modo cum baptismo conveniat, scitoque, quod,
 „ut maxime sis vocatus, et collocatus in re-
 „gnum gratiae, omniumque, quae Christi fideles
 „habent, per Christum sis particeps factus, si
 „tamen penitentiam non egeris, vita tua in
 „melius commutata, nihil tibi prodesse id possit,
 „quum baptismum tuum non honores, non ve-
 „nereris, nec mundum et intemperatum conser-
 „ves. Potes quidem vocari Christianus, sed
 „certum est, te Christum reliquisse, peccatum-
 „que tibi dominari, teque diabolo servire, nec
 „quidquam amplius habes, quam nomen et
 „speciem christianismi. Hoc ipso te ipsum fallis
 „et seducis, gravissimoque damno adfiscis.,,
 Per veram tamen resipiscenciam renouari
 illud potest. Vid. Ier. III, 1. 12.*

§. VIII.

Officium nostrum est, (1) Deo submissas
 nostrum gratias agere, quod per baptismum in sui
 secundum hanc suorumque caelestium bonorum omnium
 doctrinam communionem, sine ullis nostris meritis aut
 quodnam vlla dignitate, collocarit, 1 Petr. I, 3. Tit.
 III, 4. 5. (2) nos ipsos pertentare, vtrum in
 gratia baptismi adhuc stemus, an vero eam
 amore mundi iterum perdiderimus? (3)
 foedus baptismale, si eo exciderimus, per
 veram resipiscenciam et vitae correctionem
 sine mora renouare; (4) vires gratiae, in
 baptismo nobis donatas, tum ad necandum
 et

De sacramento baptismi. 223

et deponendum veterem, tum ad excitandum et induendum nouum hominem diligenter et assidue conferre, vid. supra §. VI. n. 1. (5) omnes afflictiones et perpeffiones, quippe ad quas per baptismum vocati sumus, alacri et libenti animo suscipere; (6) Deo nostro ad mortem usque ex promisso baptismali fideles esse, et (7) per baptismum in fide et spe lætæ resurrectionis a mortuis nos diligenter corroborare, vid. §. VI. n. 3.

§. IX.

Solacium generatim consistit in omnibus Quod bonis, quorum per baptismum facti sumus nam solaparticipes. Vid. supra §. V. Speciatim vero tum ? id magnam consolationem in se habet, (1) quod Deus per baptismum in eoque datum nobis thesaurum omnem nostram dignitatem et priorum operum meritum præuenerit; (2) quod Deus per hunc ipsum Deus noster, et nos Dei peculium in perpetuum facti simus, quippe qui nos in nomen suum baptizandos curauit; (3) quod per eundem ex omni infelicitate erepti, et in istiusmodi statum translati simus, in quo omnia, ipsæ etiam afflictiones, ad bonum nobis adiumento sint; (4) quod in baptismo vires, ad quotidianam renouationem et sanctificationem necessarias, adepti simus; (5) quod ex baptismo nostro diuinum auxilium et liberationem ex omnibus huius temporis perpeffionibus et afflictionibus nobis polliceri, et inde

inde (6) corporum nostrorum refuscitationem in illo die quam certissime sperare et expectare possimus, cetera. 1 Cor. XV, 29.

ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS

DE

SACRA COENA.

§. I.

Quod-
nam alte-
rum noui
testamen-
ti sacra-
mentum?
Alterum noui testamenti sacramentum est *sacra cœna* (1 Io. V, 6.) siue cœna dominica, 1 Cor. XI, 20. mensa Domini, 1 Cor. X, 21. de qua itidem præcipua momenta memoranda sunt.

§. II.

Auctor et
fundator
eius quis?
Auctor et fundator eius est Iesus Christus, Dominus noster, quippe qui eam non tantum paullo ante mortem suam piacularem, ea nocte, qua traditus est, post esum agni paschalis primus instituit discipulisque suis distribuit; sed constantem quoque eius usum et exercitium usque ad aduentum suum ad iudicium iniunxit, et adhuc in isto actu, quotiescumque ex præscripto ipsius instituitur, efficacitatem prodit. Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 23.

§. III.

Quid in
sacra cœ-
na exhi-
betur et
accipitur?
Res, quæ in sacra cœna exhibetur et sumitur, est partim visibilis et terrena, partim inuisibilis et cælestis, quemadmodum supra data sacramenti descriptio postulat. *Visibilis*
et

et terrena est panis et vinum, Matth. XXVI, 26. 29. inuisibilis et celestis est corpus Christi pro nobis datum, Luc. XXII, 19. et fractum, 1 Cor. XI, 24. seu caro, quam pro mundi vita dedit, Io. VI, 51. verum manna et panis vitalis, com. 32. 41. 48. 50. quæ est ἀληθὺς βρωσις, vere cibus, com. 55. et sanguis Christi, sanguis noui testamenti, pro multis effusus in remissionem peccatorum, Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. Luc. XXII, 20. 1 Cor. XI, 25. qui est ἀληθὺς πῶσις, vere potio, Io. VI, 55. Vt proinde panis, qui frangitur, non simplex et nudus panis, et vinum in calice, cui benedicitur, non simplex et nudum vinum, adeoque hic cibus et potus ab alio vulgari cibo et potu discernendus sit, 1 Cor. XI, 29. quæ res, si negligatur, graue iudicium importat, c. XI, 27. 29.

§. IV.

Forma huius sacramenti consistit in integra actione, quæ ab ipso Christo Iesu obseruata et præscripta est, et consecrando, distribuendo, manducando et bibendo peragitur. Vid. loca allegata. Vnde ratio illa subtrahendi calicem, quæ in Papatu obtinet, non aliter atque mutilatio sacramenti et inexcusabilis mutatio ordinis Christi haberi potest, qui vini benedicti bibitionem, tamquam ad essentiam huius actionis spectantem, omnibus iniunxit, Matth. XXVI, 27.

Forma
huius sa-
cramenti
in quo-
nam con-
sistit?

P

§. V.

§. V.

Pro quibus sacra
cœna est
instituta?

Quemadmodum Christus traditione corporis atque profusione sanguinis sui propitiatio factus est pro totius mundi peccatis; 1 Io. II, 2. ita etiam sacram cœnam, in qua bona corporis et sanguinis eius edenda et bibenda distribuuntur, *pro omnibus hominibus* instituit. Interim nulli eam *participant digne*, nisi qui veri discipuli Christi sunt, (vid. verba institutionis,) siue, qui se ipsos explorant, 1 Cor. XI, 28. se ipsos diiudicant, com. 31. corpus Domini discernunt, com. 29. illiusque mortem adnuntiant, com. 26. Ad quæ facienda non nisi pœnitentes et fideles idonei sunt. Qui vero resipiscentiæ et fidei expertes sunt, indigne comedunt de hoc pane et bibunt de poculo Domini, adeoque non solum omni spiritali fructu se ipsi priuant, sed rei etiam fiunt corporis ac sanguinis Christi, et damnationem sibi ipsi edunt et bibunt in hac cœna. com. 27, 29.

§. VI.

Quinam
finis, utili-
tas et fru-
ctus sacrae
cœnæ?

Finis autem, *utilitas* et *fructus* sacrae cœnæ est (1) practica et adplicatiua mortis et effusi sanguinis Domini nostri Iesu Christi recordatio. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 25. 26. (2) Remissio peccatorum, eiusque obsignatio, Matth. XXVI, 27. 28. (3) Archior cum Christo communio, 1 Cor. X, 16. Io. VI, 56. (4) Incrementum vitæ spiritalis, seu interioris hominis corroboratio, nutrimentum et re-
sq.

focillatio, com. 53. 57. (5) Arctior communio et coniunctio in spiritu cum omnibus spiritualibus corporis Iesu membris, 1 Cor. X, 17. XII, 13. (6) Spei nostræ de futura corporum nostrorum resurrectione et vita æterna confirmatio et obsignatio, Io. VI, 50. 51. 54. 58.

§. VII.

Vt baptismus, sic etiam instituta a Christo cœnam sacram celebrandi ratio *spiritualis* ac *mysticam* habet *significationem*. Ita *sumptio*, *fractio* et *vini effusio*, factæ in diuino consilio separationis et selectionis Christi ad opus redemptionis, Exod. XII, 4. 5. 6. 1 Petr. I, 20. peractæ item in cruce dissolutionis templi corporis, Io. II, 19. nec non profusionis sanguinis ipsius, c. XIX, 34. figura est, sicut *terrestris cibi* ac *potus distributio*, salutis, per sacrificium corporis et effusi sanguinis acquisitæ, exhibitionem et donationem, quæ fit per ministerium spiritus, adumbrat. Ipse autem *panis* et *vinum* nutrientem, corroborantem, refocillantem et exhilarantem virtutem corporis ac sanguinis Iesu, veri illius panis et potus vitalis, significat, Pf. CIV, 15. 1 Reg. XIX, 7. 8. figura itidem et signum est fraternæ ac mutux communionis, quæ inter eos esse debet, qui eiusdem panis participes sunt ex eodemque poculo bibunt, 1 Cor. X, 17. XII, 13. *LVTHERVS* ferm. de sacrament. corporis et sanguinis Christi, Tom. VII. Wit-

Num sacra cœna mysticam etiam significationem habet?

reb. fol. 341. a. (Tom. III. Alt. fol. 348. a.)
 „Panis e multis granis conficitur, ex quibus
 „contritis massa immisso fermento coagmenta-
 „tur. Estque panis nihil aliud, quam multo-
 „rum granorum contritorum coniunctio. Ita
 „nos quoque multi, inquit Paulus 1 Cor. X,
 „17. unus panis et unum corpus sumus. Ita
 „quemadmodum unumquodque granum amissa
 „forma propria communem cum aliis formam
 „induit, ut nullum ab alio discerni aut separa-
 „ri queat, sed omnia similia sint, et tamen sin-
 „gula sunt admixta; ad hunc modum oportet
 „et quoque Christianos unum esse, eadem men-
 „te et eadem sententia, sine sectis et dissidiis,
 „ita ut omnia unum sint, sicut una fides, unum
 „euangelium, unum baptisma, unus Christus.
 „Non secus facit verus Christianus, nec aliter
 „scit, quam bona sua aequae esse data proximo
 „suo atque sibi, nullo servato discrimine omni-
 „bus opem fert re et corpore, denique qua-
 „cumque opitulandi ratione prodesse poterit,
 „prodest. Eam imaginem ipsum quoque vi-
 „num exprimit. Vides enim hic multos vna-
 „rum botros simul esse compressor, ex quibus
 „omnibus unus liquor et mustum conficitur,
 „posteaquam unusquisque propriam formam
 „amiserit. Sunt quidem omnes botri iam in
 „vino, nullo tamen discrimine inter se cognosci
 „possunt, sed uno liquore compresso confluxe-
 „runt omnes. Ita videmur a Christo amabili
 „quadam adumbratione totam christianam vi-
 ven-

„vendi rationem esse expressam et depictam,
 „ut non opus sit pluribus libris, nisi quod hæc
 „omnia latius et fusius declarata sint, quo me-
 „lius intelligantur memoriaque et sensibus re-
 „ponantur.„ Ceterum ex veteri testamento
 tamquam typi cælestis huius cœnæ spectari
 possunt panis ac vinum, quod Melchisedecus,
 supremi Dei sacerdos, Abrahamo, a regum
 cæde redeunti, protulit, Gen. XIV, 18. sqq.
 coll. Hebr. VII, 1. sqq. nec non spiritualis ci-
 bus et potio spiritualis ex spirituali sequente
 petra, quæ petra Christus erat, ex qua in
 deserto Israelitis aquam præbebat Deus.
 Exod. XVI, 14. sqq. XVII, 6. Num. XX, 11. Ps.
 LXXVIII, 16. 17. CV, 40. 41. coll. 1 Cor. X, 3. 4.

§. VIII.

Officium omnium fidelium generatim est, Quod-
 (1) seruatori suo gratias agere, quod non nam
 solum per verbum suum et baptismum spi- omnium
 ritualement vitam in ipsis accenderit, sed per fidelium
 cœnam etiam suam, corroborare eam velit officium
 et conseruare. (2) Hac mensa, ad spiritua- tim est?
 lem hanc corroborationem et reliqua bona
 omnia participanda, sæpius uti, eaque re
 cùm seruatore suo, iisque omnibus, qui ipsius
 sunt, semper arctius sese coniungere et coa-
 leskere, 1 Cor. XI, 25. (3) Explorationem sui
 simul diligenter excolere, 1 Cor. XI, 28. in
 primis (4) mentes suas in sacro isto actu ad
 veram famem et sitim communionis Christi,
 sinceramque fidem, promissioni ipsius ha-

bendam, excitare. *LUTHERVS* serm. de nouo Testam. Tom. I. Alt. fol. 517. b. seqq.

„Quum hoc sacramentum nihil sit aliud, quam
 „testamentum, profecto longe omnium nobilif-
 „sima preparatio ad illud percipiendum est
 „anima esuriens, et firma ac letabunda cordis
 „fides, istud testamentum accipere discupiens.
 „Quis non plenus lætæ cupiditatis, spei ac con-
 „solationis vaderet petitem mille florenos, sic-
 „bi illos sibi destinatos aut testamento legatos
 „esse sciret, maxime si nihil ab ipso requirere-
 „tur, nisi vt testatoris recordaretur, ipsum
 „laudaret ac prædicaret? Sic ante omnia ani-
 „mi tui ratio habenda tibi est, vt credas ver-
 „bis Christi, eaque vera esse sinas, quando tibi
 „et omnibus dicit: Hic est sanguis meus noui
 „testamenti, quo tibi omnium peccatorum veni-
 „niam æternamque vitam lego. Quare, vt
 „dixi, omnia ex huius sacramenti verbis pen-
 „dent, quæ Christus loquitur, quæ sane auro
 „gemmisque includenda erant, nihilque magis
 „oculis mentis proponendum, vt fides in illis
 „exerceatur. Si igitur hoc sacramentum at
 „testamentum digne percipere cupis, id age, vt
 „hæc viuida Christi verba proferas, quibus fir-
 „ma fide innixus ea desideres, quæ Christus per
 „illa tibi promisit, sic dignus et bene paratus
 „es. Hæc fides et hæc fiducia te exhilararet
 „oportet, et certe exhilarabit, et liberum
 „amorem erga Christum excitabit, quo inflam-
 „matus vere piam vitam cum animi alacritate
 „agere

„agere incipies. Quisquis enim Christum amat,
 „is certe faciet, quæ ipsi placent, et intermit-
 „tet, quæ ei displicent. Quis vero ipsum ama-
 „verit, nisi diuitias gustet huius sacramenti
 „Christi, quas miseris peccatoribus ex mera
 „gratia legauit? Gustum vero fides adfert,
 „quæ testamento et promisso credit et confidit.
 „Nisi diuino promisso fidem habuisset Abraha-
 „mus, in nullo factus esset numero. Et (5)
 operam dare, ut donatæ sibi ac collatæ spiri-
 tualis vitæ vires ad multos iustitiæ fructus,
 maxime ad ardentem amorem Christi eius-
 que crucis, nec non ad fraternum amorem
 haud fictum efficaces fiant. *LUTHERVS*
Postill. Eccles. ferm. de Confess. et Sacram.
Tom. XIII. Lips. fol. 453. a. „Hic autem fructus
 „est, ut nos vicissim comedendos et bibendos
 „exhibeamus, quemadmodum corpus et sangui-
 „nem Christi comedimus et bibimus, et alterum
 „quoque his verbis compellemus: Accipe, ede
 „et bibe; ita, ut hæc non iocose, sed serio di-
 „cantur, ut te cum omni vita tua tradas, quem-
 „admodum Christus hisce verbis totum se tra-
 „didit, quasi diceret: En! adsum ipsissimus,
 „qui pro te trador, hunc thesaurum tibi dono:
 „quidquid ego habeo, et tu habebis: si quid
 „tibi, id etiam mihi deficiet. Habes iustitiam
 „meam, vitam meam, salutem meam, ut nec
 „peccatum, nec mors, nec orcus, nec vllum
 „malum te oppressurum sit; tam diu iustus
 „eris et viues, quoad ego iustus ero et viuam.

„Hac ille verba apud nos facit, quæ a nobis
 „capienda et apud alterum reciprocanda sunt,
 „non solo ore, sed ipso opere, ita videlicet :
 „Ecce, mi frater, accepi Dominum meum, hic
 „meus est, iam satis superque habeo, accipe
 „igitur et tu. Quidquid habeo, tuum esto, et
 „pro te impenditor. Quid? si pro te me mori
 „necesse fuerit, moriar. Hic scopus in hoc sa-
 „cramento nobis fixus est, ut ista amoris in alios
 „demonstratio in nobis appareat. „Et fol. 455. a.
 „Sacramentum ita nobiscum agat, oportet, ut
 „nos immutet et alios plane homines faciat ;
 „verba enim et opera Dei non otiosa esse, sed
 „res magnas efficere volunt. Eo nimirum spe-
 „ctant, ut liberemur a peccato, morte ac dia-
 „bolo, nec quidquam extimescamus, et nihilo
 „tamen secius serui euadamus vilissimi cuius-
 „que hominis in terra, nec grauemur, sed gau-
 „deamus, quod inueniamus nostræ opis indi-
 „gum, immo angamur animo, quod tanta bo-
 „na possideamus, nec ea erogare cuipiam possi-
 „mus. „ Doctorum et ministrorum ecclesiæ offi-
 „cium speciatim est : (1) Grauiissimum huius
 „sacramenti abusum, qui ubique inualuit, in
 „primis vero sic dictum opus operatum, quo
 „loco a plerisque habetur, fidei suæ commissis
 „sæpius proponere ob oculos, eosque, ut sibi ab
 „eo caueant, admonere : (2) eos, qui ad sacram
 „cœnam accessuri sunt, probe explorare : (3)
 „rudiores in fundamentis christianismi recte
 „instituere : (4) ad dignam participationem
 „sum-

Quod-
 nam est
 ministro-
 rum ec-
 clesiæ of-
 ficiū
 specia-
 tim ?

summe necessariam pœnitentiam et fidei exercitium omnibus et singulis diuina cum sapientia inculcare : (5) iis, qui in manifestis carnis operibus viuunt, sine personarum respectu, sacrae cœnæ participationem eique adnexam absolutionem denegare : (6) neminem externa vi ad eam adigere, sed potius, quod ad malos et nefarios attinet, veram vitæ correctionem vrgere, timidas autem et perterrefactas mentes, insignem cœlestis huius cœnæ fructum exponendo, ad eam paterne allicere et excitare. *LUTHERVS* Postill. Eccles. de Conf. et Sacrament. Tom. XIII. Lipsi. fol. 447. a. „Sacramentum per se nec vult, nec potest accipi a coacto, sed mentem querit esurientem, se ipsam compellentem, et gaudentem, quod illud participandi copiam habeat ; ceteros, qui ab hominibus adiguntur, adspernatur et respuit. Vnde dicitur, huius cum plena vi ac potentia huc vsque regnauit per pontificem Romanum, quem induxit, ut omnes homines, summos, medios, infimos ad percipiendum hoc sacramentum compulerit ; ad quod etiam omnes, tamquam sues, concurrerunt propter mandatum : quo ipso autem tanta sacramento illata est ignominia et dedecus, et orbis terrarum tot tantisque peccatis obrutus est, ut recordantem quemque miseratio subeat.”

§. IX.

Solatium, quod fideles filii Dei ex sacra Quod
cœnam fide-

lium solatium? cœna capiunt, *generatim* situm est tum in ipsis spiritualibus epulis, tum in multiplici fructu, (de quo supra §. VI.) qui cum digno eius usu coniunctus est: *speciatim* autem in hoc: (1) quod hinc explorare iudicare possint, Christo, æternæ illi ac substantiali sapientiæ, delectationi esse habitare inter natos hominum; (2) quod de facta per ipsum reconciliatione cum Deo magis magisque certiores, et per dignum eius usum diuinæ naturæ ac cælestis mentis Domini nostri Iesu Christi cumulatus semper participes fiant; (3) quod idem seruator, quum se ipsum illis tradat edendum et bibendum, omnia secum illis donaturus, multo autem minus ea, quæ viliora sunt, denegaturus sit; (4) quod, confecto fidei certamine, cœnam Agni in cælo celebraturi, et simul fidem, virtutem et amorem seruatoris sui in omnium Dei electorum, sanctorum amatorumque consociatione æternum prædicaturi sint. Matth. VIII, 11. XXVI, 29. Luc. XXII, 30. Apoc. II, 7. 17. XIX, 9.

ARTICVLVS DECIMVS QVINTVS

DE

POENITENTIA

ET

CONVERSIONE.

§. I.

Post diuinam beneficia et mē- **H**actenus in consideratione status gratiæ occupati, tum de diuinis beneficiis, cum

De pœnitentia et conuerfione. 235

tum de medijs salutis breuiter exposuimus; dñs salutis spectandus igitur nunc est *diuinus ordo*, quid por- quem ingredi homo debet, si ex statu peccati ro spe- et defectionis in statum reparatæ per Chri- standum? statum gratiæ transire, in eo conseruari, et hinc in statum futuræ gloriæ transferri cupiat.

§. II.

Ad hunc diuinum ordinem in primis *Quid ad pertinet vera pœnitentia et conuersio*: vnde istum di- Christus, et ante ipsum Ioannes baptista, vinum ordinem post ipsum etiam omnes apostoli ab ea ini- pertinet? tium concionis noui testamenti fecerunt. Matth. III, 2. IV, 17. Marc. VI, 12. Luc. XXIV, 47. Act. XVII, 30. XXVI, 18. Hebr. VI, 1. De hac ipsa igitur potiora momenta in hoc articulo ponderanda sunt, quando- quidem in tractatione diuinorum beneficio- rum necessitatem et indolem eius non nisi generatim indicauius.

§. III.

Pœnitentia interdum pro *prima* duntaxat Quotu- parte conuerfionis, *contritione* videlicet, acci- pliciter pitur, adeoque a fide distinguitur, vid. Marc. vocabu- I, 15. Act. XX, 21. Interdum vero et *contri-* lum pœ- tionem et *fidem* denotat, Matth. III, 2. Luc. accipitur? XXIV, 47. Et hoc sensu de pœnitentia in hoc articulo loquimur, tamen si de fide, al- tera conuerfionis parte, accuratius et fufius in fequenti articulo agendum est.

§. IV.

Pœnitentia autem opus est Dei triuini, Pœniten- ad tiam quis efficit?

ad quod homo, in peccatis mortuus, viribus naturalibus nihil conferre valet, Ier. XXXI, 18. Aët. XI, 18. Phil. I, 6. II, 13. Eph. II, 1. quemadmodum inter alia supra Part. II. Art. III. de libero arbitrio §. V. et Art. VI. §. III. de regeneratione, (quæ, quod ad rem ipsam, cum conversione vna eademque est,) ostensum est. Ita speciatim *Pater* dicitur homines trahere ad Christum, Io. VI, 44. *Christus* dare pœnitentiam, Aët. V, 31. ad eamque congregare homines, Matth. XXIII, 37. *Spiritus sanctus* mundum arguere de peccato, Io. XVI, 8. Itaque quando pœnitentia et conversio ab homine, tamquam pars diuini ordinis in negotio salutis, requiritur, Matth. III, 2. IV, 17. XI, 21. XIII, 15. XXI, 32. non ideo fit, quasi suis ipsius viribus eam posset efficere, sed vt significetur, eum supernaturalibus Spiritus sancti viribus, per verbum ad pœnitentiam sibi oblatam, non malitiose resistere, sed locum relinquere, et in orando, querendo et pulsando studium et fidelitatem suam probare debere, Apoc. III, 20. coll. Aët. VII, 50. Matth. XIII, 15. et 2 Cor. V, 20. Gal. I, 15. 16. Quo respectu homo etiam venire ad Christum, Io. VI, 37. 44. 65. Matth. XI, 28. ex Patre audire et discere, Io. VI, 45. procurare non periturum cibum, com. 27. cetera, dicitur.

§. V.

Medium
ordinari-

Medium ordinarium pœnitentiæ et con-
ver-

De pœnitentia et conuersione. 237

uersionis est *verbum Dei*, Luc. XVI, 29-31. um pœni-
 ler. XXIII, 22. 29. Per *legem* enim peccatum tentia
 et ira Dei aduersus peccatum in conscien- quod
 tia reuelatur et excitatur, Rom. III, 20. VII, nam?
 7-13. 2 Cor. III, 6. sicut ex euangelio fides
 in Christum nascitur, et pœnitentia hoc mo-
 do perficitur, Rom. X, 14. 17. De aliis *me-*
diis pedagogicis externorum beneficiorum,
 iudiciorum, morborum, bonorum exem-
 plorum, et similium, quibus Deus ad effici-
 endum opus pœnitentiæ vitur, iam supra
 Part. II. Art. IV. §. V. de vocatione, quæ homi-
 nis conuersionem proxime spectat, diximus.

§. VI.

Pœnitentia et conuersione *omnes omnino* Quinam
homines sine vlllo discrimine *egent*, utpote homines
 per Adæ defectionem a luce ad tenebras, pœniten-
 a Deo ad potestatem satanæ, sub qua ante tia et con-
 conuersionem capti tenentur, auersi, Act. uersione
 XXVI, 18. Col. I, 13. quare Deus omnibus egent?
 vbique hominibus denunciavit, ut resipisce-
 rent, vitæque correctionem per omnes gen-
 tes prædicari iussit. Act. XVII, 30. Luc. XXIV,
 47. Neque tamen vlli reuera conuertantur,
 nisi qui gratiæ ad pœnitentiam inuitanti et
 erudienti parent ei que non malitiose repu-
 gnant, Act. II, 37. 1 Thess. II, 13. Iac. I, 21.
 Luc. VIII, 15. 2 Tim. III, 8. Quodsi homo
 semel regeneritus et conuersus per carnalis
 mentis dominium gratia excidit, ad eam non
 nisi per viam veræ resipiscentiæ redire potest,
 Ier.

Ier. III, 1. 2 Sam. XII, 13. coll. Ps. LI, 2. seqq. Apoc. II, 4. 5. III, 3. Quomodo autem quis ipse sibi ob stare possit, quo minus ad resipiscentiam renouetur; de eo vid. Matth. XII, 31. XIII, 15. Hebr. VI, 4. 6. X, 26. 27. Vid. etiam supra Part. II. Art. II. §. IV. et XII. Fidelibus ac regenitis *quotidiana penitentia* tribui solet, quæ autem nihil aliud est, quam quotidiana renouatio, de qua supra Part. II. Art. IX. egimus. *LVTHERVS* in Psalm. penitential. I. numero VI. Tom. I. Alt. fol. 27. b. „*Hæc vita hand vlla alia in re occupata esse debet, quam in detestando vetere homine, et querenda atque expetenda vita noui hominis. Itaque melius est flere, queri et gemere, quam ridere et letari, canere, quiete, pace, et commoditate frui.*”

§. VII.

Natura et forma penitentia et conuersionis quam in re consistit?

Natura autem et *forma* penitentia et conuersionis non consistit in externa tantum gestuum, verborum, operum atque morum mutatione, Matth. XXIII, 25-28. 1 Cor. IV, 20. Act. VIII, 13. 21. 22. 23. Apoc. III, 1-3. sed proprie ac præcipue *in interna mutatione mentis ac voluntatis*, seu in conuersione ex tenebris in lucem, et ex satanæ potestate ad Deum, Act. XXVI, 18. vti emphasis vocabuli græci *metavolæas* requirit. Ista autem mutatio incipit ab agnitione peccati, siue profundæ omnium tam animi, quam corporis virium corruptionis, ex eaque proficiscentium varia.

De poenitentia et conuersione. 239

riarum rethnarum, fraudum et fallaciarum, atrociorum etiam delictorum et flagitiorum, Ier. III, 13. XIV, 20. Rom. VII, 7. Pf. LI, 5. 7. quam agnitionem per officium suum elencticum Spiritus sanctus in intima hominis mente efficit, ipsumque conuincit, quod ita deprauatus vnione et communione cum Deo frui nequeat, contra ea diuinam iram et execrationem legis in conscientiam excitat. Orat. Manass. com. 5. Rom. IV, 15. V, 20. VII, 13. Pf. XXXII, 3. 4. XXXVIII, 1-9. Cum ista agnitione tristitia secundum Deum, dolor et contritio cordis, 2 Cor. VII, 9. 10. Pf. LI, 19. Ies. LVII, 15. XXXVIII, 13. siue dolores spiritualis partus coniuncti sunt, sub quibus homo peccati turpitudinem ita agnoscit, vt eam valde perhorrescere, coram Deo erubescere, et se prosternere, se ipsum odisse et inculcare, peccata sua confiteri, illisque virtute mortis Christi mori incipiat. Leuit. XXVI, 41. Ier. XXXI, 19. Pf. XXXII, 3. 5. XXXVIII, 19. LI, 6. 7. Orat. Manass. com. 8. 9. 11. Matth. XXVI, 75. Dan. IX, 7. 8. 13. 16. Luc. XIV, 26. XV, 19. 21. XVIII, 13. XIX, 8. Rom. VII, 10. sqq. 1 Cor. XI, 31. 32. Iac. IV, 8-10. In his omnibus autem tantum adest, vt peccator vere resipiscens sibi persuadeat, se peccata sua satis superque deplorare, vt potius eorum magnitudinem fœditatemque intuens id sibi dari optet et cupiat, vt adhuc magis deplorare ea possit.

LF.

LUTHERVS in Psalm. I. pœnitent. numero VI. Tom. I. Alt. fol. 27. b. „Cubile lacrimis liquefaciam. Hoc autem fieri non potest, nec ab illo umquam sancto, ita quidem, ut verba resonant, factum audiuius aut legimus. Quare verba ista in spiritu dicta, et in spiritu intelligenda sunt, quod nimirum animus illius tantopere in veterem hominem incensus sit, ut, si corporis permetteret conditio, tantam vini lacrimarum profundere velit. Igitur, quod ad voluntatem attinet, omnia statim fiunt. Voluntas enim internum omnium eternorum operum et omnis vitæ pondus est, et si corpus mentem vere contritam et incensam adsequi et exæquare deberet, citius unius horæ spatio, instar niuis liquefieret atque interiret. Ex quibus apparet, anxietudinem et tristitiam, in qua quis proterius manet, duram ceruicem retinet, peccatoque amplius feruire cupit, non esse pro vera contritione seu compunctione, vtpote qua peccati corpus aboleri oportet, Rom. VI, 6. habendam. Ceterum non eadem est in omnibus, nec æque diuturna, vera tamen et sincera in omnibus fit, oportet. Ut autem in ista contritione et compunctione auersio animi a tenebris siue peccato, tamquam fœda imagine diaboli, efficitur; ita conuersio ad Deum fit per fidem, quæ in ista contritione cordis nascitur, et initio in fame et siti diuinæ gratiæ et spiritualium virium sese prodit, petendo
au.

De poenitentia et conuersione. 241

autem, quærendo et pulsando instare deber,
Orat. Manass. com. 11. 12. 13. Ps. LI, 2. sq.
Act. IX, 11. vt virtute Spiritus sancti ex euangelio ita corroboretur, vt promissiones eius in illisque Christum, iustitiam suam, accipere, in ipsius merito adquiescere, diuinam gratiam et peccatorum veniam sperare, et hoc modo conscientiae terrores vincere possit, Ies. LXI, 1. 2. 1 Io. V, 4. Quæ omnia sacra scriptura vocat *ex morte transire in vitam*, Io. V, 24. 1 Io. III, 14. **LUTHERVS** Comment. in Hos. c. XIV. Tom. IV. Witteb. fol. 468. b. (Tom. VIII. Alt. fol. 716. b.) „Me-
„minerimus, poenitentiam veram incipere ab
„agnitione et vera confessione peccati. Neque
„autem hæc potest exsistere sine ingenti dolore.
„Quia enim mens intuetur voluntatem Dei, et
„eternas peccati penas, hoc est, mortem ob oculos habet, serio commouetur, et non tantum
„dolet de admissis, sed etiam peccatum vere incipit odisse. Hunc motum, siue contritionem siue
„attritionem dicas, non statuimus cum sophistis
„esse motum hominis, sed Spiritus sancti opus est.
„Natura enim destituta Spiritu sancto non odit
„peccatum, sed amat, non dolet de peccato,
„sed gaudet peccatis, et occasionibus peccatorum non potest satiari. Spiritus sanctus igitur
„quum per poenitentiam resingit hominem,
„diuersos motus inserit animis, vt videant peccati seditatem, vt cogitent de penis et ira
„Dei. Has cogitationes sequitur odium peccati

Q

vet

„et ardens desiderium ignoscentiæ., Item :
 „Hanc flammam diuini iudicii quum Spiritus
 „sanctus per verbum in corda immittit, tum
 „sequuntur non hypocritici, sed veri et serii
 „motus, dolor de peccato, confessio peccati, et
 „propositum cauendi et fugiendi porro peccati.,
 Item : „Inchoata igitur penitentia est, quum
 „agnoscimus peccata, et de iis serio dolemus.
 „Tum autem absoluitur, quum in his dolori-
 „bus accedit fiducia misericordiæ, et animi, vt
 „Propheta hæc docet, conuertuntur ad Deum,
 „exposcunt veniam peccatorum., Item : „Hæc
 „seu fides seu fiducia etiam opus est Spiritus
 „sancti, non nostrum. Nam natura refugit a
 „Deo, quum videt immitti ab eo pœnas, nec
 „potest sperare inde salutem, vnde iram videt
 „proficisci. Hunc nature nostræ adfectum Spi-
 „ritus sanctus per verbum euangelii non corri-
 „git solum, sed prorsus tollit, et instillat ani-
 „mis fiduciam misericordiæ. Ostendit enim,
 „Deum, etsi peccatum odit, tamen non esse eo
 „animo, vt peccatores ideo velit damnatos.
 „Nam mundo donauit filium suum, et iussit per
 „eum credere remissionem peccatorum et vitam
 „æternam. Hanc cælestis Patris voluntatem
 „quum animi, Spiritu sancto per verbum ad-
 „flati, intuentur, in ipsis doloribus concipiunt
 „spem, et tamquam in umbra mortis vident
 „lucem vitæ. Etsi enim peccata terrent; tamen
 „ideo non desperant, quia vident pretium pec-
 „catorum incomparabile, sanguinem Filii Dei,
 mor-

De poenitentia et conuersione. 243

„mortem quoque etsi meritis se peccatis statuunt, tamen adquiescunt in misericordia Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed vult, ut conuertatur et viuatur, atque ideo non pepercit vnigenito Filio suo, sed dedit eum usque ad mortem crucis, ut ipsius plagis nos sanaremur. Ad hunc modum absoluitur poenitentia, huius postea certi proueniunt fructus.”

§. VIII.

Finis veræ poenitentiae ac conuersionis *Quinam* est, ut homo ex tenebrarum potestate vindicetur, Col. I, 13. coll. Luc. XI, 21. 22. *finis veræ poenitentiae?* venia peccatorum et diuinæ gratiae particeps reddatur, Act. II, 38. XXVI, 18. vnctione et luce Spiritus sancti repleatur, Eph. I, 13. V, 14. qua corpus, animam et spiritum sanctificetur, Rom. VI, 22. I Thess. V, 23. atque ideo ad vnionem cum Deo et participandam sanctorum sortem in luce idoneus fiat, Act. XXVI, 18. quorum omnium homo, quoad animo est resipiscere nescio, capax non est.

§. IX.

Præcipui veræ poenitentiae *characteres* *Quinam* sunt: (1) supra descripta corporis peccati *præcipui* abolitio, Rom. VI, 6. (2) dominium in peccatum, com. 12. Gal. V, 24. *characteres poenitentiae?* (3) abnegatio sui et mundi, Luc. XIV, 26. Phil. III, 8. (4) studium sanctimoniae, sine qua nemo videbit Dominum, Rom. VI, 22. I Petr. I, 13-15. Hebr. XII, 14. Huc etiam spectant effectus diuinæ tristitiae. 2 Cor. VII, 11.

Q 2

§. X.

§. X.

Quanam
præcipua
eius im-
pedimen-
ta?

Præcipua veræ pœnitentiæ et conuersio-
nis *impedimenta* sunt (1) inordinatus amor
sui et hinc oriunda arrogans hominis de se
iam conuerso persuasio, Ies. LVIII, 2. Luc. XVI,
15. XVIII, 9. 11. 12. 14. Matth. XIX, 20.
XXI, 31. Io. IX, 41. Apoc. III, 15. sqq. (2)
huius vitæ curæ et diuitiarum fallacia reli-
quarumque rerum cupiditates, seu amor
sæculi, Marc. IV, 19. Luc. XIV, 18-20.
Matth. XXII, 5. (3) voluntaria bonorum mo-
tuum diuini Spiritus suffocatio, Prou. I,
23-25. 30. Hebr. IV, 7. Aët. VII, 51. (4)
externa et simulata pœnitentia, Ies. LVIII,
2. 3. Mich. VI, 6. 7. Hof. VII, 16. Amos. V,
21-23. Ioel. II, 13. (5) carnalis fiducia, quam
quis in misericordia Dei et Christi merito
habet, ex eoque solatium captat, in securi-
tate et duritia mentis perseuerans, Ier. II, 33.
Sirac. V, 6. 7. Rom. VI, 1. Ep. Iud. com. 4.
(6) carnalis fiducia in externo mediorum sa-
lutis vsu, cultu diuino, religione, et piis
maioribus, Ies. I, 11-16. Ier. VII, 4. 5. Luc.
XIII, 25-27. 1 Cor. X, 1-6. 11. Matth. III, 9.
Io. VIII, 33. 39. (7) abusus diuinæ longani-
mitatis et beneficiorum, Ps. L, 21. Ezech.
XII, 22. sq. Sir. V, 4. Rom. II, 4. 5. Gen. XIII,
10. 13. (8) spes longioris vitæ ex eaque ex-
sistens dilatio pœnitentiæ, Luc. XII, 19. 20.
Sir. XVIII, 2. Aët. XXIV, 25. Hebr. IV, 7.
(9) multorum ministrorum ecclesiæ minus
fida

De pœnitentia et conuerſione. 245

fidæ officii adminiſtratio, Ezech. XXXIV, 3-10. (10) in primis eorum minus apta et ſincera diuinam doctrinam proponendi methodus vitæque improbitas, Ier. XXIII, 11. 16. 17. 22. 27. Mal. II, 8. (11) animi inquietudo et impatientia in mora diuini ſolatii ſub initium pœnitentiæ, Sir. IV, 20. 21. 22. (12) potentia et occæcatio diaboli, Luc. VIII, 12. 2 Tim. II, 26. 2 Cor. IV, 4. (13) induratio, Matth. XIII, 15. 1 Tim. IV, 2. et (14) deſperatio, Matth. XXVII, 4. 5.

§. XI.

Officium noſtrum eſt, (1) indicata impedimenta omnia fugere, contra ea operationibus Spiritus ſancti, ad efficiendam in nobis pœnitentiam, locum relinquere, Ieſ. XL, 3. 4. Hebr. IV, 7. Apoc. III, 19. 20. (2) in certamine pœnitentiæ durare, et diuinæ gratiæ ſolacium ex promiſſionibus euangelii patienti ac libenti animo expectare, Pf. CXXX, 5. 6. 7. Sir. IV, 18-21. VI, 18-22. (3) poſt actam pœnitentiam ab operibus mortuis in quotidiana mentis renouatione ſtudium et diligentiam adhibere, atque ita dignos pœnitentiæ fructus edere, Matth. III, 8. Io. XV, 16. Col. III, 5-10. 2 Petr. I, 5-9. (4) aliorum etiam emendationi voce et exemplo inferuire, Pf. LI, 15. Iac. V, 19. 20. 1 Petr. III, 1. Sir. LI, 35. (5) cum diuinis angelis lætari, Deique miſericordiam, quæ

246 Part. II. Art. XVI.

eis contigit, laudibus concelebrare, Luc. XV, 7. 10. Gal. I, 24.

§. XII.

Quod-
nam sola-
tium?

Solacium est, (1) quod Deus resipiscen-
tiam ad vitam dare, seu per Spiritum suum
sanctum in omnibus, ipsi haud malitiose re-
pugnantibus, efficere velit, vid. supra §. IV.
(2) quod pœnitentibus peccata sua et pœnas
peccatorum condonare, eosque omnibus
gratiæ ac salutis bonis beare in Christo velit,
Prou. XXVIII, 13. Pf. XXXII, 5. Ies. I, 16-18.
LV, 6. 7. Ion. III, 10. Matth. V, 3. 4. XI, 28.
XVIII, 27. 1 Io. I, 9. Luc. VII, 48. XV, 20.
sq. XVIII, 14. (3) quod, licet mundus, nobis
ad frugem redeuntibus, fremat et indigne-
tur, Deus tamen et omnia, quæ Dei sunt in
cælo atque in terra, exhilarantur. Luc. XV. tot.

ARTICVLVS DECIMVS SEXTVS

DE

F I D E.

§. I.

Altera
pars pœ-
nitentiæ
quænam?

Altera eaque præcipua pars pœnitentiæ,
vti iam supra monuimus, est *fides*,
de qua igitur in hoc articulo agen-
dum est distinctius.

§. II.

Vocabu-
lum fidei
quid si-
gnificat?

De vocabulo *fidei* ante notandum est,
quod interdum significet *vniuersam religionis*
christianæ doctrinam, speciatim prima eius
ca-

capita, quæ vulgo dicuntur symbolum apostolicum; quo sensu in hoc articulo non accipitur, utpote in quo fides *diuinum* illud et *caeleste lumen* denotat, quod per euangelium in animo resipiscente et contrito efficit Spiritus sanctus, et per quod diuinam gratiam in Christo Iesu agnoscimus et acceptamus.

§. III.

Hanc vero fidem nemo ab natura habet; Fides
nec quispiam propriæ rationis viribus eam unde?
consequi potest, 1 Cor. II, 14. Eph. IV, 18. Rom. III, 11. 17. Si quis igitur, quum euangelium audit, ipse sibi propriis viribus vagam cogitationem in animo fingit, et se credere adfirmat, non est vera fides, uti quidem opinatur, sed (ut B. LUTHERI verba habent in præfatione in epist. ad Romanos) frigidum figmentum est, et humana cogitatio, quæ cor nihil nouat, nihil adficit, quam nulla etiam noua vita, nulla opera fidei sequuntur. Contra *fides est diuinum opus*, siue *operatio Dei triuinus*, Θεὸς τὸ δῶρον, Dei donum, Eph. II, 8. _ gratuito nobis datum (ἐχαρίσθη) Phil. I, 29. Rom. I, 8. Ita speciatim *Pater τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ*, excellentem potentiae suæ magnitudinem, in eo patefacit, quod fidem operatur pro sui egregii roboris virtute, quam exseruit in Christo, cum ex mortuis suscitando, supra omnia exaltando, et omnia ei subiiciendo. Eph. I, 19. seq. Col. II, 12. Vid.

Q 4

etiam

etiam Io. VI, 29. 44. 45. *LVTHERVS* Comment. in 1 Petr. Tom. V. Witteb. fol. 443. a. (Tom. II. Alt. fol. 410. a.) „*Neque enim tantum voluntatis Dei est, sed virtus quædam, ut credamus, propter quod, tantum scilicet, ubi etiam non minoris momenti fuerit, fidem in quopiam condere, atque denovo creare cælum et terram.*” *Christus* est dux perfectiorque fidei, Hebr. XII, 2. vita et lux hominum, Io. I, 4. quæ sub penitentia laborantibus paternum Dei animum per euangelium aperit, Matth. XI, 27. 28. Nemo etiam est, qui Deum possit Patrem, Rom. VIII, 15. et Iesum Dominum dicere, nisi per *Spiritum sanctum*, 1 Cor. XII, 3. qui hinc Spiritus fidei vocatur, 2 Cor. IV, 13. Vid. supra Part. I. Art. VII. §. X. et Part. II. Art. V. §. II. et §. V. nec non *LVTHERI* expositio articuli tertii symboli apostolorum.

§. IV.

Per quod-
nam me-
dium De-
us fidem
operatur?
Medium, per quod Deus ordinarie fidem operatur, *verbum est euangelii*, Io. XVII, 20. Rom. X, 14. 15. 17. 1 Cor. I, 21. per quod etiam postea nutritur et corroboratur, Phil. com. 6. vnde illud non modo *semen*, 1 Petr. I, 23. sed *lac* etiam est et vocatur, c. II, 2. Ministri noui testamenti, quibus illud adnuntiandi datum est negotium, in efficienda fide vt Dei *συνεργοί*, adiutores, spectandi sunt. Io. I, 6. 7. 1 Cor. III, 5. 9. 2 Cor. IV, 6. Rom. I, 11. 12.

§. V.

§. V.

Quemadmodum ut siue fide placeatur Num om-
Deo obtineaturque salus, fieri non potest; nibus ho-
Hebr. XI, 6. Marc. XVI, 16. Io. III, 18. 36. minibus
nemo autem ad fidem per se indoneus est: sufficientes vires
ita omnibus hominibus sufficientes vires cre- credendi
dendi a Deo per euangelium offeruntur, Act. offerun-
XVII, 31. 1 Tim. II, 4. nulli autem eas acci- tur?
pere possunt, nisi qui ab operibus mortuis
respiscunt, et Spiritus sancti gratiæ morose
non resistunt, Eph. V, 14. Marc. I, 15. Qui
autem tenebras magis quam lucem amant,
sua culpa ad fidem inepti manent, Io. III,
18. 19. 2 Tim. III, 8. Ceterum non solos
adultos, sed infantes etiam et paruulos fidei
capaces esse, docet Christus Matth. XVIII, 6.
Marc. IX, 42. X, 14. Vid. etiam Matth,
XXI, 16. Luc. I, 15.

§. VI.

De natura et indole fidei notandum, quod De natura
ad eam requiratur (1) notitia, speciatim et indole
Christi et beneficiorum eius; per quam fidei quid
autem non mere naturalis et historica articu- notan-
dum?
lorum fidei scientia, sed viuæ et spiritualis
cognitio intelligitur, ex illuminatione Spiritus
sancti per verbum oriunda, Io. VI, 69. XVII,
3. Luc. I, 77. 2 Cor. IV, 6. (2) ad sensus iis,
quæ quis in lumine Spiritus sancti cognouit,
tamquam indubitatis, certis ac veris præ-
bendus, et similiter ex operatione et obfi-
gnatione Spiritus sancti oriundus, Act. VIII,

37. 1 Io. V, 6. (3) *fiducia*, itidem a carnali illa securitate, qua quis respiscere nescius gratiam Christi sperat, nec de salute sua dubitat, sollicitè distinguenda, in eo autem sita, ut iis, quæ generatim de Deo cognoscimus et adsertione adprobamus, speciatim patefactæ in Christo gratiæ, ex qua peccata nobis remittere, iustitiam et vitam sempiternam dare vult, per Spiritus sancti virtutem firmiter innitatur, Hebr. XI, 1. *LV THERVS* Præfat. in epist. ad Romanos, Tom. V. Witteb. fol. 97. b. „*Fides est fiducia constans misericordiæ Dei erga nos in corde viuens et effusaciter agens, qua proiicimus nos toti in Deum et permittimus nos Deo, qua certo freti non dubitemus millies mortem oppetere. Et hæc tam animosa fiducia misericordiæ Dei cor exhilarat, erigit et excitat rapitque dulcissimis quibusdam adfectibus erga Deum, animaturque sic cor illud credentis, ut Deo fretus non reformidet se solum opponere omnibus creaturis. Hoc ergo pectus heroicum, hos ingentes animos indit cordi Dei Spiritus, qui datur per fidem.*“ Huc proinde spectat specialis gratiæ illius adplicatio, Gal. II, 20. *LV THERVS* in dictum Gal. I, 4. 5. Tom. VII. Alt. fol. 24. b. „*Hoc facile a te impetraueris, ut Christum Dei Filium, pro Petri et Pauli aliorumque sanctorum, qui ista gratia digni fuerunt, peccatis traditum esse adseras. Contra ea admodum difficulter, tamquam miser,*
„*in-*

„indignus ac damnatus peccator ex toto animo
 „credideris, et sine ulla dubitatione statueris,
 „Christum Dei Filium pro tuis peccatis, multis
 „quidem, magnis et gravibus, esse traditum,
 „quum tamen ista gratia nunquam dignus
 „factus sis, hic, inquam, labor, hoc opus est.,
 Item Comment. in Gen. XXII, 16. Tom. VI.
 Witteb. fol. 311. a. (Tom. IX. Alt. fol. 622. b.)
 „Ibi explora animum tuum, an credas, Deum
 „esse tuum Deum, patrem, saluatorem et libera-
 „torem, qui velit te ex peccatis tuis et morte
 „eripere, et si sentis, te adhuc vacillare aut hesi-
 „tare, cogita, quomodo quotidiano et assiduo usu
 „verbi Dei illam dubitationem emendes., Simi-
 liter requiritur, ut homo in illis etiam rebus
 soli promisso Dei confidat, in quibus ratio pe-
 nitus desperat. Rom. IV, 18. sqq. Hebr. XI, 1. sqq.

§. VII.

Fides in his omnibus certos gradus ad-
 mittit, ita, ut non solum notitia, sed ad-
 sensus etiam et fiducia in aliis firmior sit,
 quemadmodum ex discrimine, quod inter
 infirmos et firmos fide, Marc. IX, 24. Rom.
 XIV, 1. sq. XV, 1. statuitur, apparet. Vbi
 simul notandum est, quod, uti *infirmas fides*
 vera fides est, et diuinam gratiam partici-
 pat; ita omne solatium, quod quis inde ca-
 ptat, fallax et inane sit, si peccato feruiat,
 amoremue sæculi in se regnare sinat. In tali
 enim homine fides infirma locum vllum ha-
 bere nequit, quæ, ubicumque est, animum
 pur-

An fides
 etiam
 gradus
 admittit?

purgat et mundum abnegat. Neque verò fides semper infirma manere, sed *incrementum* capere debet, 2 Theff. I, 3. Philem. com. 4. quod maxime quidem sedula euangelii tractatione et meditatione (qua dere supra §. IV.) tum etiam frequenti sacrae cœnæ usu et assiduo precum exercitio, Luc. XVII, 5. 2 Theff. I, 11. 12. Marc. IX, 24. Matth. VII, 7. 8. generatim autem fida acceptæ gratiæ adplicatione, Matth. XIII, 12. 1 Tim. III, 13. et speciatim variis afflictionibus et tentationibus efficitur, 1 Petr. I, 6-7. 2 Theff. I, 3. 4. 2 Cor. XII, 9. 10. Hebr. XI, 34. Cum incremento fidei incrementum quoque caritatis et reliquarum vitæ spiritualis virium omnium coniunctum est, 2 Petr. I, 5. 6. 7. 2 Theff. I, 3. 4. sicuti hæ ipsæ deficiunt et cessant, deficiente et cessante fide.

§. VIII.

Denique *fides vim ac virtutem* habet et *iustificantem et sanctificantem*. Illa (vis iustificans) in hoc sita est, quod per fidem peccatorum remissionem et gratiam Dei consequimur. Non autem hæc ipsa fidei competit, quatenus virtus est, sed quatenus Christum adprehendit et accipit, vid. supra Part. II. Art. VII. §. V. Vnde locutiones sunt æquipollentes, quando scriptura dicit, nos iustificari per fidem, vel nos iustificari per iustitiam et obedientiam Christi; item, iustitiam Christi nobis imputari, vel
fidem

Quotuplex fidei virtus?

Virtus eius iustificans in quo consistit?

fidem nobis imputari ad iustitiam, Rom. III, 24. 25. 26. c. IV, 2. 3. 5. 6. 16. Gal. II, 16. *Hanc* (vim sanctificantem) in eo demonstrat fides, quod animum purificat, Act. XV, 9. in eoque imaginem Dei in sanctitate et iustitia instaurat. cap. XXVI, 18. Rom. III, 31. *LVTHERVVS* Comment. in Gen. XII, 4. Tom. VI. Witteb. fol. 153. b. (Tom. IX. Alt. fol. 307. b.) „*Est fides res viuax et potens, non est notiosa cogitatio, nec innatat cordi, sicut anser aque, sed sicut aqua igni calefacta, etsi aqua manet, tamen non amplius frigida, sed calida, et prorsus alia aqua est. Ita fides, Spiritus sancti opus, aliam mentem et sensus alios fin- git, ac prorsus nouum facit hominem.*” Hæc vis et virtus ideo fidei competit, quia Christus habitat per fidem in animis nostris, Eph. III, 17. et nos per eandem tam arcte cum ipso vnimur, quam palmites cum vite vniti sunt; ubi fides ex Christo spiritualis vitæ succum trahit, per quem, quidquid præterea vere bonum est, quasi protrahitur, Io. XV, 4. 5. 2 Petr. I, 3. sqq. Iac. II, 17. 20. 22. Ita ex fide fluit amor in Deum et Christum, Gal. V, 6. Luc. VII, 47. plenus fiduciæ aditus ad Deum, Rom. V, 1. 2. Eph. II, 18. Hebr. IV, 16. X, 22. confessio ac laus Dei, Rom. X, 10. 2 Cor. IV, 13. obtemperatio diuinis præceptis, 1 Io. II, 3. III, 22-24. V, 2. 3. Hebr. XI, 7. 8. 17. patientia etiam in perferendis pro Deo aduersis, Phil. I, 29. Hebr.

Virtus
sanctifi-
cans in
quo?

Hebr. XI, 24-26. 35. Iac. I, 3. Fides itidem
 amorem in alios operatur, 1 Io. IV, 7. 8.
 Iac. III, 17. 18. sensum caelestem, Col. III, 1. 3.
 victoriam de mundo, 1 Io. V, 4. et sincerum
 studium purgandi se ab omni et corporis et
 animi labe, sanctimoniaque perfungendi
 cum Dei metu, 2 Cor. VII, 1.

§. IX.

Quod- *Officium nostrum secundum hanc doctri-*
 nam offi- *nam est, (1) nos ipsos studiosè pertentare,*
 cium no- *an simus fide præditi, 2 Cor. XIII, 5. (2)*
 strum se- *Deum de efficienda augendaque in nobis*
 cundum *fide submisit etiam atque etiam rogare,*
 hanc do- *Luc. XVII, 5. Marc. IX, 24. 2 Thess. I, 11. 12.*
 ctrinam? *Matth. VII, 7. 8. LUTHERVS Præfat. in ep.*
ad Romanos, Tom. V. Witteb. fol. 98. a.
„Ora tu Deum, qui iussit verbo e tenebris lu-
cem splendescere, ut ille elucescat in corde
„tuo, et fidem in te creet, alias numquam cre-
des, etiamsi mille annis talibus cogitationibus
„surgendis fidei adquisita aut acquirenda stu-
„deas.“ (3) Spiritui sancto ad efficiendam in
nobis veram pœnitentiam, sine qua fides
saluifica esse non potest, locum relinquere,
Marc. I, 15. (4) Fide Christum non solum
ut iustitiam nostram, sed etiam ut sanctita-
tem seu sanctificationem accipere, vid. §. VIII.
(5) Fidem nostram per caritatem et varia
bona opera efficacem demonstrare: liqui-
dem sine hac fides mortua, nec veræ indolis
est, Gal. V, 6. Tit. III, 8. 2 Petr. I, 5. Iac. II,

14. seq. 1 Io. II, 4. (6) Operam dare, vt in fide crescamus et proficiamus, mediisque eo facientibus fideliter vti, vid. §. VII. (7) Certare præclarum fidei certamen, neque adeo permittere, vt vel huius vitæ calamitatibus, vel amore sæculi ad defectionem commoueamur et a fide reuocemur, 1 Tim. I, 18. 19. VI, 9. 10. 12. Hebr. III, 12.

§. X.

Solatum est, (1) quod Deus ipse fidem *Solatum* omnibus exhibeat, adeoque eam efficere et quod- augere velit, vid. §. III. et V. (2) quod per ^{nam?} fidem non tantum ab omni miseria et infelicitate liberemur, sed pretiosissimorum etiam et maximorum bonorum participes reddamur, Io. III, 16. 18. 36. V, 24. XI, 25. 26. Marc. XVI, 16. (3) quod nulla res sit, quam fides facere non valeat, quippe quæ precibus a Deo omnia, quæ promissit et pollicitus est, impetrare potest, Marc. IX, 23. XI, 24. Iac. I, 6. (4) quod per fidem mundum, eiusque principem, diabolum, vincere, omniaque eius tela ignea exstinguere possimus, 1 Io. V, 4. 1 Petr. V, 9. Eph. VI, 16. (5) quod Deus fidei nostræ imbecillitatem tolerare eique per Spiritum sanctum succurrere velit, Matth. XII, 20. Rom. VIII, 26. (6) quod Christus, maxime quidem grauis tentationis tempore, pro nobis orer, ne nos fides deficiat, Luc. XXII, 32. (7) quod fidem tandem intuitus sequuturus sit, nosque re-
por-

256 Part. II. Art. XVII.

portaturi simus finem fidei nostræ, salutem
animarum, 2 Cor. V, 7. 1 Petr. I, 9.

ARTICVLVS DECIMVS SEPTIMVS

DE

BONIS OPERIBVS.

§. I.

Quo pacto hic articulus cum antecedente connectitur? **Q**uum veram pœnitentiam fructus se-
qui necesse sit, sicut Ioannes præcipit
Matth. III, 8. et fides, si opera non
habeat, mortua sit per se, Iac. II, 17. siqui-
dem in Christo Iesu haud alia fides quid-
quam valet, quam quæ per caritatem agit;
Gal. V, 6. manifestum omnino est, ordinis
diuini, quo homini ad æternam vitam adi-
tus suppetit, partem necessariam et arduam
esse *bonorum operum exercitium*. Vnde post
consideratam pœnitentiæ ac fidei doctrinam
de bonis etiam operibus momenta maxime
necessaria ex verbo Dei in hoc articulo pro-
ponenda sunt.

§. II.

Quis omnium bonorum operum causa principalis? *Causa principalis* omnium bonorum
operum est ipse Deus triunus, qui solus bo-
nus est, et pro natura et indole sua nihil,
nisi quod bonum est, creare et operari potest,
Matth. XIX, 17. Iac. I, 17. Vnde et ipsum
velle, et ipsum agere bonum Dei in nobis
et per nos opus est, Phil. II, 13. et gratia,
2 Cor. VIII, 1. 2. 16. 1 Paral. XXX, 14. 16. 18.

Spe-

Speciatim *Pater* est, qui homines in Christo Iesu condit ad bona opera, eosque præparat, vt in eis versentur, Eph. II, 10. qui in eis etiam efficit, quod gratum est in conspectu suo, eosque hac ratione componit ad omne opus bonum, Hebr. XIII, 20. 21. in eoque confirmat, 2 Theff. II, 17. *Christus* non solum vires ad faciendum bonum adquisiuit nobis, Tit. II, 14. sed etiam vera vites est, quæ cum palmitibus suis succum illum vitalem communicat, ex quo fructibus iustitiæ repleri possunt, Io. XV, 4. 5. 16. Phil. I, 11. *Spiritus sanctus* non minus ad bona opera impellit, Rom. VIII, 14. quæ hinc fructus Spiritus vocantur, Gal. V, 22. Eph. V, 9.

§. III.

Medium, per quod Deus in nobis bona opera efficit, est *sanctum* ipsius *verbum*, sicut totius sacræ scripturæ finis is est, vt compositus sit diuinus homo, ad omne recte factum bene comparatus, 2 Tim. III, 17. *Lex* quidem speciatim ea opera nobis proponit, quæ Deus a nobis exigit, et quæ ipsi placent, 1 Tim. I, 5. Ex *euangelio* autem vires profiscuntur ad ea efficienda, quippe quod fidem operatur, per quam lex in nobis stabilitur, et ex qua omnia bona opera fluunt, Rom. X, 17. III, 31. 2 Petr. I, 5. 7. *Bona* etiam *exempla* fidelium Deus sæpius eo prodesse iubet, vt alii ad bonorum operum studium illis adliciantur et excitentur, Matth.

Per quodnam medium Deus bona opera efficit?

V, 16. 2 Cor. VIII, 1. IX, 2. Huc etiam spectant, quæ de mediis renouationis et sanctificationis supra Part. II. Art. IX. diximus.

§. IV.

Quinam
sunt, in
quibus
Deus bo-
num ope-
ratur?

Hominēs, in quibus, et per quos bonā opera efficiuntur, non sunt alii, quam *qui per fidem in Christum regeniti et iustificati*, siue *σενωσμένοι*, salutem consequuti sunt, Eph. II, 8-10. Tit. III, 8. Io. XV, 16. Ps. I, 3. Matth. XII, 33. cuius salutis, per fidem iam heic acceptæ, fructus et testimonia sunt bona opera, ita ut sine illis homo tamquam adhuc mortuus in peccatis et captiuus in regno diaboli spectandus et existimandus sit, Eph. II, 1-3. Rom. VIII, 7. Quæcumque igitur homo, in veteri natiuitate constitutus, ex eadem profert, etiamsi boni et virtutis speciem habeant, non tamen vere bonorum operum notionem habent, sed mortua opera sunt, quia in illis non inest vita fidei et spiritus, siquidem τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, carnis adfectio, quæ inimicitia est aduersus Deum, ea parit et operatur, Matth. XII, 33. Hebr. IX, 14. Rom. VIII, 6. 7. XIV, 23. **LUTHERVS** Conc. de libertate christiana, Tom. I. Ienens. latin. fol. 440. a. (Tom. I. Alt. fol. 364. a.) „Vera itaque sunt hæc duo verba: „Bona opera non faciunt bonum virum, sed „bonus vir facit bona opera; mala opera non „faciunt malum virum, sed malus vir facit „mala opera. Ita ut semper oporteat ipsam „sub-

„substantiam seu personam bonam esse ante
 „omnia bona opera, et bona opera sequi et
 „prouenire ex bona persona. Sicut et Christus
 „dicit Matth. VII, 18: Mala arbor non facit
 „bonos fructus, bona arbor non facit malos
 „fructus. Clarum autem est, quod fructus non
 „ferunt arborem, nec arbor crescit in fructi-
 „bus; sed e diuerso arbores ferunt fructus,
 „fructus crescunt in arboribus. Vt ergo necesse
 „est, arbores esse priores fructibus suis, et
 „fructus non faciunt arbores, neque bonas, ne-
 „que malas, sed e contra arbores tales faciunt
 „tales fructus; ita necesse est, primum perso-
 „nam ipsam hominis esse bonam vel malam,
 „antequam faciat bonum vel malum opus, et
 „opera sua non faciunt eum malum aut bonum,
 „sed ipse facit opera sua aut mala aut bona.,

§. V.

Ad naturam igitur et indolem bonorum Quid ad
 operum requiritur, ut ex καὶ νότος πνεύμα- naturam
 tos, e nouitate spiritus, proficiantur, Rom. et indo-
 VII, 6. siue ex diuina natura, 2 Petr. I, 4. lem bo-
 quam Deus in regeneratione producit, ex norum
 lege diuina, in carneis animi tabulis descripta, operum
 Ier. XXXI, 33. Ezech. XXXVI, 26. 27. 2 Cor. requiri-
 III, 3. hoc est, ex spirituali delectatione et tur?
 interna cupiditate eorum omnium, quæ in
 lege sua præcepit Deus, 1 Io. V, 3. prout ea
 ex gustatione amoris Dei et Christi erga nos
 accenditur, Ps. CXIX, 32. 88. 117. Rom. V, 5.
 1 Io. IV, 11. 16. 19. Quæ omnia sunt arbor

R 2

illa

illa bona, in nobis serenda, si fructum eius
 bonum esse cupiamus, Matth. XII, 33. Io.
 XV, 16. *fons aquæ*, salientis in vitam æter-
 nam, Io. IV, 14. *venter*, ex quo fluunt peren-
 nis vitæ flumina, Io. VII, 38. *lux*, coram
 hominibus lucens in recte factis, Matth. V,
 16. Phil. II, 15. *LV THERVS* in Io. XV,
 Tom. VII. Alt. fol. 148. b. „*Quare nihil mo-*
 „*menti id habet, si quis ex eo ferat iudicium,*
 „*quænam opera fiant, sed ex quonam princi-*
 „*pio fiant. Nihil refert facere magnum aut*
 „*paruum, multum aut parum, sed fontis et*
 „*scaturiginis habenda est ratio, unde fluant.*
 „*Hac in re, quid inter Christianorum et reli-*
 „*quorum hominum omnium vitam et opera*
 „*inter sit, distinguitur.*” Ibid. fol. 146. a.
 „*Quando baptizor aut per euangelium ad fru-*
 „*gem reuocor, Spiritus sanctus adest, qui me*
 „*velut massam adsumit, nouumque hominem*
 „*ex me condit, qui aliam nunc mentem, alium*
 „*animum, alias cogitationes accipit, nimirum*
 „*veram cognitionem Dei, veramque gratiæ di-*
 „*vinæ fiduciam. Ut summam dicam, internus*
 „*cordis mei fundus renouatur et mutatur, ut*
 „*nouus plane palme euadam, viti Christo insi-*
 „*stus, ex eoque natus. Mea enim sanctitas, iu-*
 „*stitia et puritas non ex me nascitur, nec in me*
 „*subsistit, sed ex solo Christo, et in solo Christo*
 „*est, in quo radicans sum et fundatus per fi-*
 „*dem, sicut succus ex vite in palmites transit.*
 „*Et ipse iam similis et indolem eius nactus*
 „*sum*

„sum, ut in eo et per eum fructus feram, qui
 „non mei, sed ipsius vitis sunt. Ut adeo homo
 „christianus veros fructus ferre possit non Ada-
 „mi, nec suos ipsius, sed Christi. Quod enim
 „baptizat, concionatur, solatur, hortatur, ope-
 „ratur et patitur, hoc facit non ut homo ab
 „Adamo progenitus, sed Christus in ipso, ita ut
 „os et lingua, qua verbum Dei tractat vel con-
 „fiteatur, non ipsius, sed Christi os et lingua sit;
 „manus, qua operatur aliisque opitulatur, non
 „eius, sed Christi manus et membrum sit, qui
 „in illo est, et ipse in Christo. Hoc est, quod
 „Dominus dicit: Qui in me manet, et ego in
 „eo, cetera; ut significet, hanc esse christia-
 „nismi indolem, ut non sit extrinsecus illatus,
 „aut instar vestimenti indutus, nec velut nouus
 „mos modusque adsumtus, qui in operibus vi-
 „geat, uti monachismus et fictitia sanctitas, sed
 „ita, ut hominem esse oporteat per Spiritum et
 „verbum Dei regentum et in intimo animi ad-
 „fectu transformatum. Deinde vero, animo
 „per Christum sic regenito, fructus etiam con-
 „sequuntur, confessio euangelii, opera caritatis,
 „obedientia, patientia, castitas, cetera. Vnde
 sequitur, omnia bona opera a fidelibus, qua-
 tenus regeniti sunt, sine coactione, sed spiri-
 tu spontaneo fieri, Ps. LI, 14. CX, 3. CXIX,
 56. 57. 77. collat. Ps. XXXII, 9. 1 Tim. I, 9.
 (utpote qui ἐκ καρδίας, ex animo parent ei
 doctrinae rationi, in quam sunt traditi, Rom.
 VI, 17. XV, 26. 27. 2 Cor. VIII, 3. II, 17.

IX, 7.) adeoque ab operibus, externam tantum boni et recti speciem habentibus, et ex sola coactione legis, (quum quis ei vel ex feruili mercedis inuitu, vel formidine pœnæ et iræ diuinæ, aliquo modo obedit,) oriundis, distingui debere, Matth. VI, 1-5. Rom. XIII, 5. Eph. VI, 6. 2 Cor. IX, 7. 1 Petr. V, 2. Luc. XV, 29. Sunt autem bona opera vel *interna*, vel *externa*. Per *ista* intelliguntur effectæ a Spiritu diuino internæ virtutes, secundum viramque decalogi tabulam, quo omnes Eph. V, 9. Gal. V, 22. et 2 Petr. I, 5-6. recensiti fructus Spiritus referendi sunt. *Hæc* autem in eo posita sunt, quando internæ virtutes per externa verba et facta sese produnt, Matth. V, 16. Phil. II, 15. 1 Petr. II, 12. neque enim vllum externum opus bonum est, nisi ex intimo animi adfectu, siue ex fide et caritate, profiscatur, Rom. XIV, 23. Vnde etiam omnia opera, si vere bona dicenda sunt, *in verbo Dei* mediate vel immediate *mandata* esse, Ps. CXIX, 9. 105. Deut. IV, 2. nec in ἐθελοθρηνησίᾳ, vel solo bonæ nostræ opinionis arbitrio fieri oportet, Matth. XV, 9. Col. II, 18. Nec minus necesse est, non honorem proprium, Phil. II, 3. Matth. VI, 1. sq. XXIII, 5. Eph. VI, 6. vel meritum, Luc. XVII, 10. sed *gloriam Dei*, Matth. V, 16. 1 Petr. II, 12. 1 Cor. X, 31. et *aliorum* hominum spiritualem et corporalem *salutem* sibi propositam habere, Phil. II, 4. Ceterum
Deus

Deus filiis suis infirmitates, bonis eorum operibus ex carne adhærentes, propter Christum non imputat; Rom. VIII, 1. veniam earum ab ipso per Filium suum non tantum petentibus, Ps. XIX, 13. sed illius etiam virtute contra illas decertantibus, ab iisque magis magisque se purgantibus, 2 Cor. VII, 1. *LUTHERVS* in Io. XV. Tom. VII. Alt. fol. 143. b. „*Quum sit palmes in vite radicans,*
 „*huiusque liquor et virtus in eo maneat, fru-*
 „*ctus etiam illius boni sint maneatque opor-*
 „*tet, vermiculorum licet morsu nonnumquam*
 „*arrosi aut ab erucis aliisque insectis infestati.*
 „*Pari modo quum homo in Christo maneat, ab*
 „*eoque succum et virtutem accipiat retineatque*
 „*per fidem, vt Christus virtute sua et Spiritus*
 „*sancti donis in eo operetur, residua infirmi-*
 „*tas, a diabolo et vitiosa natura excitata, illi*
 „*non nocet, ea tamen lege, vt perpetuo fidei*
 „*certamine contra eam pugnet istamque col-*
 „*luuiem expurget.*”

§. VI.

De necessitate exercitii bonorum operum De neces-
 notandum est, non requiri illud ad prome- sitate ex-
 rendam veniam peccatorum aut salutem, exercitii bo-
 (vid. §. V.) quæ Dei beneficium est, Rom. VI, norum
 23. et a Christo acquisita, Rom. III, 24. vti quid no-
 nec bene operari possunt vlli, nisi σεσωμένοι, tandum ?
 gratia iam seruati; Eph. II, 8. 9. vid. §. IV.
 sed quia sædus nouum, Ier. XXXI, 33. Hebr.
 VIII, 10. speciatim redemptio Christi, Tit. II,

14. et regeneratio ac renouatio Spiritus sancti bona opera non tantum requirunt, sed hæc in fidelium animis hinc per se fluunt, vid. §. V. et quia sine illo exercitio et per mala opera fides vitæque spiritualis exstinguitur, et Spiritus sanctus tristitia adficitur atque amittitur, 1 Tim. VI, 10. Eph. IV, 30. Sap. I, 5.

§. VII.

Num bona opera præmia habent?

Licet bona opera non sint meritoria, et vita sempiterna per se beneficium Dei maneat; Deus tamen vel immediate, vel mediate, nimirum ministerio vtens rerum creaturarum, Hof. II, 21. 22. omnia fidelium opera bona, etiam quod ad externam speciem exigua et occulta, Matth. VI, 6. X, 42. *præmiis adficit*, Ies. III, 10. Mal. III, 16-18. Hebr. VI, 10. X, 35. XI, 6. Matth. V, 3-10. non ex debito, sed *ex gratia et promisso*, Rom. XI, 35. Ier. XXXII, 41. Hebr. VI, 10. (ad mensuram tamen operum, dum alii parcius, alii largius ferunt, adeoque alii parcius, alii largius metunt, Luc. VI, 38. 2 Cor. IX, 6. 1 Cor. III, 8.) et quidem præmiis *temporalibus*, Pf. LXXXI, 14-17. Matth. VI, 33. 1 Tim. IV, 8. *spiritualibus*, Ies. LVIII, 7. 8. Matth. XIII, 12. XXV, 28. 29. Io. XIV, 21. 2 Cor. IX, 8. 11. et *æternis*, 1 Tim. IV, 8. VI, 18. Rom. II, 7. 2 Cor. V, 10. Gal. VI, 8. 9. *LUTHERUS* in Io. XV. Tom. VII. Alt. fol. 143. b. „*Sic vniuscuiusque Christiani opera comparata sunt, ut æternum Deo placeant, numquam repudianda, uti alienorum a Christo hominum*

num

num opera, sed in futura etiam vita eternum
 premium habitura, quia in Christo sunt, et
 ex illa vite enascuntur. Quod ut fideles
 ad studium, in bonorum operum exercitio
 ponendum, excitat, 2 Cor. VII, 1. 1 Cor.
 XV, 58. ita ab huius sæculi hominibus, si non
 ore, certe ipso facto negatur, Mal. III, 14 Sap.
 II, 22. V, 2. Ceterum in bonorum operum
 exercitio constantia requiritur, Gal. VI, 8. 9.
 1 Theff. V, 15. 2 Theff. III, 13. si nolumus
 perdere, quod elaborauimus, sed mercedem
 plenam accipere cupiamus, 2 Io. com. 8.
 Ezech. XVIII, 24. Malefici autem, in primis
 qui sub specie boni malum sunt operati,
 velut arbores tetrae et infructuosae in ignem
 iniiciuntur, Matth. III, 10. VII, 19. 21-23.
 XXIII, 14. et interitum metent, Gal. VI, 8.

§. VIII.

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) finire conscientiam nostram in ordine veræ pœnitentiæ ac fidei per sanguinem Christi et Spiritum ipsius purgari, et ad bona opera idoneam reddi, Hebr. IX, 14. hanc doctrinam? (2) vires gratiæ in regeneratione acceptas ad bonorum operum exercitium fideliter adhibere, eoque ipso fidem nostram exercere et ostendere, 2 Petr. I, 4. seq. Iac. II, 14. seq. (3) filiali animo diuinas promissiones de præmiis bonorum operum spectare, ut hoc ipso studium bonorum operum in nobis excitemus et acuamus, 1 Cor. XV, 58. 2 Cor. VII, 1.

R 5

Hebr.

Hebr. XI, 25. 26. vid. §. VIII. (4) operam dare, vt multos iustitiæ fructus ferendo cælestem Patrem illustremus, Io. XV, 8. illis repleamur, Phil. I, 11. adeoque bonis operibus direscamus, 1 Tim. VI, 18. Marc. IV, 20. (5) eo etiam contendere, vt in bonis operibus magis magisque proficiamus et abundemus, et hunc in finem abnegationem nostri et cordium nostrorum expurgationem constanter et perpetuo continuare, 2 Tim. II, 21. (6) videre, vt alii alios ad caritatem et bona opera tum voce, tum bono exemplo prouocemus, Hebr. X, 24. Matth. V, 16. (7) non desitisci aut segnescere recte faciendo, vt mercedem plenam accipiamus, 2 Io. com. 8. Vid. §. VII.

§. IX.

Quod-
nam fide-
lium sola-
tium?

Solatum filiorum Dei ex hac doctrina est, (1) quod Deus pro sua beneuolentia in ipsis velit efficere, vt et velint et efficiant, ipsosque adeo componere ad omne opus bonum, vid. §. II. (2) Quod ex bonis operibus, tamquam criteriis et fructibus, de sua regeneratione, iustificatione, vnione cum Deo, eiusque plena gratiæ inhabitatione certi esse possint, 1 Io. III, 19. 20. Io. III, 21. Vid. supra §. IV. V. (3) Quod Deus adhaerentes operibus ipsorum nauos ipsis non imputare, sed magis magisque ab illis eos expurgare velit, Io. XV, 2. Mal. III, 3. (4) Quod in bonorum operum exercitio vires fidei non im-

imminuantur, sed magis magisque ita confirmantur, ut yberiores semper et pleniores fructus ferre possint, Io. XV, 2. 2 Petr. I, 8.

(5) Quod recte faciendo amentium hominum ignorantiam optime et efficacissime confutare et compescere, atque hac ratione eos ad resipiscentiam sui que imitationem excitare possint, 1 Petr. II, 15. *LUTHERUS* Comment. ad Gal. III. Tom. V. Witteb. fol. 364. b. (Tom. VI. Alt. fol. 737. a.) „*Quis enim, vel unius operis, quod Christianus ex fide in fide facit, utilitatem et fructum satis predicare potest? Est enim pretiosius, quam calum, et terra. Ideo neque totus mundus in hac vita potest dignam mercedem reddere vel pro uno tali bono opere. Neque mundus hanc gratiam habet, ut bona opera piorum magnificet, multo minus compenset, quia ea non cernit, aut, si cernit, non bona opera, sed pessima malefacta esse iudicat, et eos, qui talia faciunt, tamquam nocentissimas generi humano pestes e mundo exturbat.*„ (6) Quod nemo ipsos lædere possit, si bonitatis imitatores sint, 1 Petr. III, 13. Rom. VIII, 28. et quod contra ea (7) Deus omnibus recte factis in Christo delectetur, Hebr. XIII, 16. 2 I. 1 Petr. II, 5. eaque aliquando patefacere et prædicare, Matth. VI, 6. XXV, 35. 36. 2 Cor. V, 10. et tum in hoc mundo temporalibus et spiritualibus, tum maxime in cælo æternis præmiis adficere et decorare velit. Vid. supra §. VII.

ARTI-

ARTICVLVS DECIMVS OCTAVVS

DE

C R V C E.

§. I.

Quenam
inter
hunc et
præce-
dentem
articu-
lum con-
nexio?

Experimentum fidei et bonorum ope-
rum est *crux*, vipote quæ cum fidei
et bonorum operum exercitio ineuita-
biliter coniuncta et sociata est, Ies. LIX, 15.
Sir. II, 1. Rom. VIII, 17. 2 Tim. III, 12. Act.
XIV, 22. Vnde etiam tamquam pars ordi-
nis, in quo Deus nos communionem sui dignari
vult, spectanda et in hoc articulo consi-
deranda est. *LV THERVS* Conc. in Matth. V.
Tom. VII. Witteb. fol. 15. a. (Tom. V. Alt.
fol. 826. a.) „Quocirca, quod animo tuo libi-
tum fuerit, potes eligere. Duas vias tibi pro-
positas cernis, alteram ad cælum et vitæ im-
mortalitatem, alteram ad inferos tendentem,
et aut cum Christo beatus, aut cum mundo
damnatus omne æuum exigas. Illud tamen
scias oportet, si ita vitam tuam institueris, ut
hic delicatam vitam transigas, nec ullam per-
secutionem patiaris, futurum est, te cum Chri-
sto calos non conscensurum, et contra. Et bre-
uiter, aut Christus una cum regno cælesti tibi
deferendus est, aut committendum, ut omnia
persecutionum et afflictionum genera in
mundo sustineas. Atque ut in summa dicam,
hunc Christum habere volenti corpus, vita,
opes, dignitates, mundi fauor et gratia in
du-

„dubium ponenda sunt, neque ille contemtu,
 „aut ingratitude, aut persecutionibus ullis
 „mouendus et conterendus est.“

§. II.

Is, a quo, tamquam *suprema causa*, crux A quo-
 omnis proficiscitur, ipse Deus est, 1 Sam. II, nam crux
 6. utpote cuius sine voluntate et providentia omnis
 nec grati nec aduersi quidquam mortalibus proficisci-
 potest accidere, Matth. X, 29. 30. Ies. XLV,
 7. Thren. III, 37. 38. Vnde speciatim filio-
 rum suorum cuilibet crucem, quam eis pro
 sapientia sua salutarem esse intelligit, desti-
 nat et immittit, Io. XVIII, 11. et quidem ex
 amore paterno, Hebr. XII, 6. et ad *utilitatem*,
 com. 10. Qua in re Deus certas *causas mini-*
steriales adhibere solet, a quibus (quamquam,
 ut diximus, ad utilitatem,) adfligantur et
 vexentur, Mich. V, 2. Ita ipsi *satanae*, omni-
 bus ipsius filiis inimico atque infenso, Gen.
 III, 15. Eph. VI, 12. 1 Petr. V, 8. Apoc. XII,
 4. permittit, ut eos vel externis et corpora-
 libus cruciatibus adficiat, vel internis pravis
 et execrabilibus cogitationibus, tamquam
 venenatis malitiæ telis, angat, Iob. I. II. 2 Cor.
 XII, 7. Eph. VI, 16. *Mundo* etiam, tamquam
 instrumento, Deus vitur, per quod suos
 dignatur cruce, licet malitiam eius, qua pios,
 qui non sunt de mundo, et quorum vita est
 ei dissimilis et dispar institutum, diuexat,
 nec efficiat, nec comprobeat, Gen. III, 15. Sap.
 II, 12. 20. Io., X 18. 19. XVI, 33. XVII,

14. 1 Io. III, 13. Gal. IV, 29. *Caro vitiosa*, in regenitis residua, et contra spiritum concupiscens, Gal. V, 17. magnum etiam illis animi cruciatum et afflictionem parit, quippe qui Deo sine ullo peccato servire cupiunt. Mortificatio eius proprie est quotidiana crux, quam tollere Christus omnes discipulos suos iubet, Luc. IX, 23. Manifestum igitur est, veros Christianos cruce et afflictione immunes esse non posse, Io. XVI, 33. Act. XIV, 22. 2 Tim. III, 12. *LVTHERVVS* Postill. Eccles. in epist. Dom. IV. post Trinit. Tom. XIV. Lipf. fol. 95. a. „*Si Iesu Christi, Domini nostri, coheres esse cupis, neque vero simul pati; si ipse frater esse vis, nec ei fieri consimilis: certe in nouissimo die te non agnoscet fratrem, et coheredem suum, sed ex te quæret, ubi habeas coronam tuam spineam, crucem, clavos et scuticam, an toti mundo detestationi fueris, uti ipse et omnia ipsius membra inde ab orbe condito? Quæ omnia si tu ostendere non poteris, nec ille te pro fratre suo habere poterit. Ad summam, nos omnes simul pati, et omnes imaginis Filii Dei consimiles fieri oportet (uti postea com. 18. habet) aut cum eo non siemus gloriosi.*”

§. III.

Quinam
illi, quos
cruce di-
gnatur
Deus?

Illi, quos cruce dignatur Deus, omnes ipsius filii sunt, Ps. LXXXIII, 15. Hebr. V, 8. XII, 6. 7. quos amat, Tob. XII, 13. qui non sunt de mundo, Io. XV, 19. qui ipsi seruiunt, Sir. II,

1. et volunt in Christo pie viuere, 2 Tim. III, 12.
 LV THERVS Serm. I. de cruce, Tom. V. Alt.
 fol. 570. a. „Age nunc, si Christianus esse cupis,
 „veste indutum te esse oportet, quæ colorem auli-
 „cum habeat. Non alium pannum ex aula sua dat
 „Christus. Ferendæ sunt afflictiones. „ Contra
 ea homines huius sæculi, dum plerumque
 temporaria felicitate, vipote in qua mens
 eorum defixa est, florent, bonis suis in vita
 sua defunguntur, Job. XXI, 7-15. Ps. XVII,
 14. XXXVII, 20. 35. XLIX, 12. 17. 19.
 LXXIII, 3. sq. Jer. XII, 1. Mal. III, 15. Luc.
 XVI, 25. Calamitates vero, si quibus heic
 premantur impii, semper sunt iustæ pœnæ
 peccatorum, vbi suis digna factis accipiunt,
 Luc. XXIII, 41. et plerumque ita comparatæ
 sunt, vt eas sibi ipsi attrahant; sicut vitium
 quodque pœnam habet comitem, Ps. XXXII,
 10. 1 Tim. VI, 10. 2 Cor. VII, 10. 1 Reg.
 XXI, 4. Sir. XX, 22. seqq. tamen negari haud
 potest, Deum, dum malos vexari finit, pro
 vniuersali suo in genus humanum amorem
 id agere, vt ad frugem eos reuocet, Leuit.
 XXVI, 39. 40. Deut. XXX, 1. Ies. LVII, 17.
 Luc. XV, 15-17. Job. XXXIII, 19. sqq. Apoc.
 XI, 13. XVI, 9. quo externa etiam et corpo-
 poralia beneficia, quibus fruuntur, spectant,
 Rom. II, 4. Neque tamen Deus suos eadem
 cruce, eadem crucis mensura, adficit, sed vni-
 cuique tantum immitit, quantum vult, vt-
 pote qui pro sua fideitate non permittit
 quem.

quempiam tentari supra quam possit ferre,
1 Cor. X, 13. Apoc. II, 24. Io. XXI, 18. 21.
Exod. XIII, 17. 18.

§. IV.

Natura et
indoles
crucis in
quonam
consistit?

Natura et indoles crucis in eo consistit, quod afflictio est, quæ in se spectata non potest non dolores adferre, tamen Deus filiis illos suis lenire, 2 Cor. I, 3. 5. immo sensum eorum, plenissimam suam consolationem subministrando, impedire solet, quemadmodum ex historiis martyrum constat. Omnes autem perpeffiones, quæ fidelibus accidunt, vel eiusmodi sunt, ut eas cum ceteris mortalibus habeant communes: quo omnes vitæ humanæ casus, e. g. næui in corpore, morbi, paupertas, obitus propinquorum, ceteri, spectant, qui his pœna, illis autem salutaris afflictio sunt; vel tales, ut veris Christianis propriæ sint et peculiæ. Quo loco tam externe afflictiones, quando videlicet propter pietatis studium a mundo contemni, odio et ludibrio habentur, vexantur, eiiciuntur aut occiduntur, Matth. V, 10-12. X, 17. 18. 1 Cor. IV, 9. sqq. 2 Cor. IV, 8. quam omnes interne passiones, e. g. molestia luctæ carnis et spiritus, omnesque spirituales tentationes habendæ sunt, Ps. XXII, 2. LXXVII, 8-10. LXXXVIII. tot. Iob. VI, 4. 2 Cor. XII, 7.

§. V.

Fructus
et utilitas

Præcipuus fructus et utilitas crucis, recte qui-

quidem adhibitæ, est (1) debilitatio veteris crucis
 Adami in nobis, 1 Petr. IV, 1. 2. 2 Cor. IV, ^{quamam?}
 16. XII, 7. *LV THERVS* in Psalm. III. Tom.
 V. Alt. fol. 346. b. „Deus nos exasciat, fabri-
 „catur, dolat et sculpit, vt veterem hominem
 „vna cum sapientia, prudentia et sanctitate
 „sua, immo cum omnibus vitiis suis enecet,
 „atque ita perfecte nos præparet, vt noua
 „ipsum creatura simus. Ad hoc magnas ascias,
 „secures, ferras, cuneos, (callidus enim et ver-
 „sus veterator est vetus ille Adamus,) hoc est,
 „tetros tyrannos, demones, spiritus sectarios,
 „falsos fratres, famem, morbum, carcerem,
 „laqueum, gladium, et alios id genus crucia-
 „tus innumeros adhibere necesse habet.” (2) Re-
 nouatio et corroboratio interioris hominis,
 secundum omnes spirituales vires ex euan-
 gelio, quod vim et virtutem suam in men-
 tibus, sub cruce humiliatis, omnium illu-
 strissime demonstrat, 2 Cor. IV, 16. (3) Ade-
 ptio variæ spiritualis experientiæ, Rom. V, 4.
 (4) Probatio et exploratio fidei, 1 Petr. I, 7.
 IV, 12. Iac. I, 12. *LV THERVS* in 1 Petr. I, 1.
 Tom. V. Witteb. fol. 444. a. (Tom. II. Alt.
 fol. 411. a.) „Ad hoc crux et varia illæ ad-
 „spectiones faciunt, vt sincera a fucata fide di-
 „gnoscat. Et hac causa sic nos Deus tentat,
 „quo nostra fides probetur, et fiat manifesta
 „mundo, vt deinde et alii ad fidem nostro ex-
 „emplo inuitentur, et nos laudem et gloriam
 „consequamur. Vt enim nos Deum prædicamus;

S

„ita

„ita vicissim et ipse nos laudabit, glorificabit et
 „honorabit, quum mendaces illi hypocritæ, qui
 „rectam viam contemserunt, confusio-
 „bunt.“ (5) Tranquillitas et pax animæ,
 Matth. XI, 29. Hebr. XII, 11. (6) Viuida di-
 vini solatii perceptio per gloriosum diuinum-
 que Spiritum, 2 Cor. I, 3-5. 1 Petr. IV, 14.
 (7) Exsuscitatio precum, 2 Cor. XII, 8. et (8)
 maioris cupiditatis æternæ vitæ, Rom. VIII,
 22. 23. 2 Cor. V, 2. 4. (9) Conformitas cum
 Christo crucifixo, Rom. VIII, 29. 2 Cor. IV,
 10. (10) Gloria Dei ex fortitudine, in filio-
 rum suorum imbecillitate ostensa, Io. II, 11.
 XI, 4. 2 Cor. XII, 9. 10. Denique (11) sem-
 piterna et longe excellentissima ac grauissi-
 ma gloria, 2 Cor. IV, 17. siue corona
 vitæ, Iac. I, 12. lætitia et exultatio, quum
 reuelabitur Christi gloria, 1 Petr. IV, 13.

§. VI.

Quod-
 nam offi-
 cium no-
 strum se-
 cundum
 hanc do-
 ctrinam?

Officium nostrum secundum hanc doctri-
 nam est, (1) in vera pœnitentia et fide vitam
 agere, vt afflictiones, quæ nobis vsu veni-
 unt, non sint pœna per iram Dei, sed casti-
 gatio ex paterno ipsius in nos amore im-
 missa; vid. supra §. III. (2) cauere, ne pro
 arbitratu nostro ipsi nobis afflictiones con-
 trahamus, sed eas patienti et tranquillo ani-
 mo ferre, quæ nobis Christum imitantibus
 diuinitus infliguntur; Col. II, 23. 1 Reg.
 XVIII, 28. 1 Tim. VI, 10. Sir. XXX, 22. (3)
 non in causis ministerialibus, quas Deus in
 im-

immittenda cruce adhibet, subsistere, sed omnes afflictiones tamquam ab ipso Deo Deique ex manu accipere; Ps. CXVI, 13. Io. XIX, 11. 2 Sam. XVI, 10. 11. Iob. I, 21. (4) non contemnere Domini castigationem, Hebr. XII, 5. sed decori et gloriæ nobis ducere, eamque adeo omni hominum mundanorum felicitati longe anteponere, Eph. III, 13. Gal. VI, 14. 2 Cor. XII, 9. Hebr. XI, 24-26. et pro aduersis Deo non minus, quam pro reliquis beneficiis gratias agere in iisque gaudere, Rom. XII, 12. Iac. I, 2. 1 Petr. IV, 12. 13. (5) in acerbitatibus crucis patientes nos præbere, et placidæ cælestis Patris voluntati sedato animo nos submittere ac consecrare, Thren. III, 26-30. Luc. XXI, 19. Rom. XII, 12. Hebr. X, 36. XII, 1. sq. Matth. XXVI, 39. 42. ab eoque omne auxilium petere atque expectare; Ps. L, 15. Sir. LI, 10. 11. (6) in omnibus afflictionibus in exemplum eorum, qui ante nos res aduersas sustinuerunt, aut adhuc nobiscum sustinent, in primis vero in perpeffiones Christi earumque gloriosum ac beatum exitum fidei oculos coniungere, nosque hac ratione confirmare, ne defatigati animos despondeamus, Hebr. XII, 1. sqq. 1 Petr. V, 9. Iac. V, 10. 11. Sir. II, 11. 12. (7) omnes etiam afflictiones ad emendationem nostri, seu ad participandam maiorem sanctitatem conuvertere, Hebr. XII, 10. coll. Ies. I, 5. (8) non bre-

breuem leuēque calamitatem, sed magnam gloriam in eis, qui heic cum Christo passi sunt et sustinuerunt, aliquando patefaciendam spectare, Rom. VIII, 18. 2 Cor. IV, 17. 18. 2 Tim. II, 11. 12. (9) aliorum etiam, maxime verorum Christi membrorum, in afflictionibus commiserescere, eisque supplicatione, consilio, consolatione, quantum possumus, succurrere, Hebr. X, 33. XIII, 3. Rom. XII, 13. 1 Cor. XII, 26. 2 Cor. I, 10. 11. 1 Thess. V, 14.

§. VII.

Quodnam solatium fide-
lium in
cruce?

Solatium, quod dilecti Dei filii in afflictionibus habent, *generatim* situm est in plena fidei cognitione insignis vtilitatis crucis, de qua §. V. diximus. *Speciatim* solatio eis esse potest, (1) quod omnes afflictiones a Patri cælesti, et quidem ex amore paterno et ad emendationem, ipsis immittantur, vid. §. II. (2) quod ille ipsis numquam grauius onus imponat, quam cui eos esse scit ferundo, vnde in grauioribus perpeffionibus gratiam suam, virtutem ac consolationem in illis auget, vid. §. II. (3) quod omnibus calamitatibus certum terminum constituerit, ex illisque ipsos tempestiue eripere et possit et velit, Ps. LXXVII. XCI. (4) quod ex cruce et afflictionibus, maxime ex odio mundi, certo possint colligere, se non de mundo esse, sed a Christo ex mundo electos, Io. XV, 19. XVII, 14. (5) quod per crucem in arctio-
rem

rem semper Christi crucifixi omniumque
 verorum ipsius membrorum communionem
 introducuntur, in eaque conseruentur et
 custodiantur, Rom. VIII, 29. 2 Tim. II, 11.
 Hebr. XII, 1. 2. Matth. V, 11. 12. (6) quod
 omnes eorum perpeffiones Christi crux et
 perpeffiones sint, Col. I, 24. Hebr. XI, 26.
 XIII, 13. quippe quæ propter Christum vfu
 eis veniunt, Io. XV, 21. quas hic etiam spe-
 ctat vt sibi ipsi contingentes, Act. IX, 4. 5.
 Ief. LXIII, 9. et quibus ipse adfcitur, Hebr.
 IV, 15. et per Spiritum suum infirmitatibus
 eorum succurrit, Rom. VIII, 26. (7) quod
 omnis rerum natura congemifcat ac condo-
 leat, Rom. VIII, 19. 23. (8) quod Deus ad-
 flictiones eorum, ex iisque elucentem pa-
 tientiam, humilitatem ac spem sapius eo
 prodesse iubeat, vt alii vel ad frugem reuo-
 centur, vel in boni rectique studio confir-
 mentur, in primis vero multi ad gratiarum
 actionem excitentur, Phil. I, 12. 14. (9) quod
 fationem lacrimarum sub cruce læta sempit-
 ernæ ac longe grauiffimæ gloriæ melfis olim
 certe et indubitate fequutura fit, Pf. CXXVI,
 5. 6. Apoc. VII, 14. §. V. n. 11.

ARTICVLVS DECIMVS NONVS

DE

PRECIBVS.

§. I.

Denique ad diuinum salutis ordinem, Quid
 S 3 quem præterea

ad diuinum salutis ordinem spectat? quem hactenus considerauimus, spectat etiam *sedulum precum exercitium*, cuius de momentis maxime necessariis in hoc articulo agendum est.

§. II.

Preces quis operatur?

Preces non sunt opus humanarum virum, sed *opus ipsius Spiritus sancti*, quippe qui fidelium infirmitatibus succurrit, vt non solum Dei adorandi bonorumque petendorum cognitionem largiatur, sed eorum etiam animos ad preces potenter flectat, in illisque debitam deuotionem, filialem fiduciam, humilitatem et reuerentiam efficiat. Quid? quod is ipse est, qui in cordibus eorum clamat, Abba, pater! et pro eis supplicat gemitibus ineffabilibus, Rom. VIII, 26. 14. 15. Gal. IV, 6. vocatus hinc spiritus gratiae et precum, Zach. XII, 10.

§. III.

Quis adorandus et inuocandus?

Adorandus et inuocandus solus Deus triuinus est, Pater, Filius et Spiritus sanctus, Matth. IV, 10. cuius in nomen baptizati sumus, et quem proinde precibus nostris deuenerari debemus, vtpote qui vnus solus pro omniscientia sua gemitus et desideria cordis nostri nouit, Ps. XXXVIII, 10. CXXXIX, 2. 4. Ier. XVII, 10. Rom. VIII, 27. et tamquam Deus omnipotens, qui potest omnia longe lateque copiosius facere, quam nos poscere aut cogitare, omnibus difficultatibus, quibus premimur, succurrere et mederi

deri potest, Eph. III, 20. Iste cultus adorationis humanitati etiam Iesu Christi competit, quippe cum qua per vnionem personalem tota diuinitatis plenitudo communicata est, vid. supra Part. I. Art. VI. Cap. I. §. VII. IX. Contra vero ab hoc cultu non solum vana et vitæ expertia gentilium simulacra, Ies. XL, 18. seqq. Ier. X, 3. sq. Ps. CXV, 4. 8. Sap. XIII, 10-19. sed angeli etiam, Apoc. XIX, 10. XXII, 8. 9. Maria virgo vna cum reliquis sanctis omnibus, et omnes in vniuersum res conditæ, quocumque veniunt nomine, prorsus excluduntur, ita, vt nemo eas sine graui crimine religiosa adoratione venerari possit.

§. IV.

Inuocare seu precari Deum, omnium quidem hominum munus est, neque tamen vlli ita orare possunt, vt Deo placeant et exaudiantur, nisi *regeni* et *fideles*, siue metuentes Dei eiusque facientes voluntatem, aut certe melioris vitæ initium serio ordientes, Deumque de largienda peccatorum agnitione, vera contritione ac fide, rogantes. Eorum autem, qui a melioris vitæ studio alieni sunt, preces Deo abominationi sunt, quia sine Spiritu sancto, qui in illis habitare et operari nequit, ex sola consuetudine, tamquam opus quoddam seruale, vel in speciem et ex simulatione fiunt, Ps. LXVI, 18. CXLV, 18. 19. Ies. I, 15. Prou. XXVIII, 9.

280 Part. II. Art. XIX.

Io. IX, 31. i Io. III, 22. vid. Matth. VI, 5. 7.
Gen. IV, 4. 5. Luc. XVIII, 10-14.

§. V.

Quænam *Res a Deo petenda* in oratione dominica
res a Deo ab ipso Christo summam propositæ sunt.
petenda? Ita ex hoc præscripto homo christianus pe-
tere debet (1) sanctificationem nominis Dei,
(2) adpropinquationem regni Dei, (3) exse-
quutionem voluntatis diuinæ in terra,
sicut fit in cælo, (4) dationem panis quoti-
diani, (5) condonationem peccatorum, (6)
propulsionem grauiorum et noxiarum
tentationum, et (7) liberationem ex omni
malo. Matth. VI, 9-13. Luc. XI, 2-4. Quæ
omnia partim in spiritualis et corporalis
nostræ miseræ atque impotentæ cognitione,
vt ex ea eripiamur, partim in plenâ gratiæ
promissionibus Dei in Christo Iesu fundata
sunt. Simul autem hinc manifestum est, *ma-*
gis de bonis spiritualibus quam corporalibus in
Quænam res præci- precibus sollicitos esse nos oportere, Matth.
pue pe- VI, 33. i Reg. III, 5. 11. 13. quod autem fie-
tenda? ri, nisi deposita per veram pœnitentiam et
quotidianam renouationem mente carnali,
Quocum non potest. Præterea hoc discrimen notan-
discrimi- dum est, *spiritualia*, si honori diuino no-
ne spiri- stræque salutis simpliciter inseruiant, *sine con-*
tualia et ditione; *corporalia* autem, et ex spiritualibus
corpora- ea, quæ dicto modo nobis non sunt simpli-
lia peten- citer necessaria, *cum conditione* et exceptione
da? diuinæ voluntatis petenda esse. Quod vero
iti-

itidem veram abnegationem et animi submissionem pro fundamento requirit, utpote sine qua nemo ad discrimen illud in precibus faciendum idoneus est. Matth. XXVI, 39. 1 Io. V, 14. Ceterum veri et fideles Christiani orare debent non tantum *pro se ipsis*, ve-
 rum etiam *pro aliis*, et quidem pro omnibus hominibus, 1 Tim. II, 1. atque adeo pro
 ipsis *inimicis*, Pf. XXXV, 13. Matth. V, 44. Luc. XXIII, 34. Act. VII, 59. speciatim vero
 vi mutuae communionis in Christo pro se invicem, Eph. VI, 18. Iac. V, 16. pro regibus
 quoque et omnibus potestate pollentibus, 1 Tim. II, 2. pro fidelibus doctoribus et ministris ecclesiae, Eph. VI, 19. Hebr. XIII, 18.
 et quisque pro suis, parentes pro liberis, et liberi pro parentibus, cet. quod tamen non ex recepto more et in speciem, sed ex intimo animi adfectu et amore non fucato fieri oportet, ut inter alia sermonis cohaerentia
 1 Tim. II, 1. seq. requirit.

§. VI.

Forma precum consistit in submissa et *Forma*
 fidei plena imploratione divinae gratiae et *precum*
 petitione istorum bonorum, quibus vel in *quo*
 spiritualibus vel corporalibus egemus, quae *consistit?*
 vel cum externorum verborum pronuntiatione, vel sola mentis elevatione ad Deum
 fieri solet, Pf. X, 17. XIX, 15. *LVTHERVS*
 in Matth. VI. Tom. VII. Witteb. fol. 48. a.
 (Tom. V. Alt. fol. 868. b.) „*Fides sua postu-*

„lata statim eloquitur, immo unico suspirio id
 „efficit, quod multa verba non possunt effari
 „aut adsequi, sicut Paulus testatur: Spiritus
 „orat., Item in Io. XIV. Tom. VII. Alt. fol.
 83. b. „Vbi christianus quispiam est, ibi pro-
 „prie Spiritus sanctus est, qui nihil agit præ-
 „terquam quod semper orat. Quamvis enim
 „non semper moueat labia, aut verba faciat;
 „mens tamen instar arteriarum et cordis in
 „corpore sine intermissu mouetur et pulsatur
 „his suspiriis: Dilecte Pater, utinam sanctifico-
 „tur nomen tuum, utinam adueniat regnum
 „tuum, utinam fiat voluntas tua apud nos et
 „ubique terrarum, cetera. Et quanto grauius
 „ictus tentationum et afflictionum mentem
 „premunt et quatiunt, tanto intentius fiunt
 „suspiria et preces, ipso etiam ore. Ut adeo
 „haud facilius hominem christianum deprehen-
 „das sine precatione, quam hominem viuum
 „sine pulsu venarum, qui numquam desinit, sed
 „semper per se mouet et agitat, homine licet
 „dormiente vel aliud agente, et nihil huius-
 „modi cogitante., Faciendæ autem sunt pre-
 „ces (I) cum vera animi attentione, nec ore
 „solo, Matth. XV, 8. quæ vero animi attentio
 „non in mere naturali sensuum animi col-
 „lectione, neque in rationali verborum, quæ
 „ore efferuntur, contemplatione, nec semper
 „in iucunda diuini solatii et dulcedinis gusta-
 „tione sita est, sed in seria atque assidua ani-
 „mi occupatione, qua per pulsantem vel in-
 „ha-

Quomo-
do preces
faciendæ?

habitantem gratiam, voluntatem ad Deum Patrem suum cum fiducia adplicat, apud eundem de suis miseriis deplorat, ab eoque opem sincere nec simulate petit et expectat. Pf. CXLV, 18. Iac. V, 16. (2) *In vera paupertate spiritus*, siue submissa inopiae, indignitatis et impotentiae nostrae agnitione, Gen. XVIII, 27. Pf. LI, 19. Iudith IX, 13. Luc. XVIII, 10-14. (3) *Cum fide et filiali fiducia*, sine regnante dubitatione ac diffidentia, Pf. XXVII, 8. Marc. XI, 24. Iac. I, 6. Hebr. IV, 16. X, 22. LUTHERVS Serm. de Orat. Tom. I. Alt. fol. 302. a. „Si quis vero ita orat, ut de exauditione diuina dubitet, ceco, atque incerto casui preces suas committens, his dupliciter peccat. Vno quidem modo, quod preces suas ipse irritas facit, et in cassum laborat. Ita enim D. Iacobus apostolus ait, c. I, 5. 6. 7. 8 : Si quis vestrum sapientia caret, postulet a Deo, qui omnibus plane donat, nec exprobrat, et ei donabitur. Postulet autem cum fiducia, nihil dubitans. Qui enim dubitat, similis est fluctui maris, ventis aëto et excito. Neque vero se putet is homo quidquam a Domino impetraturum. Hoc intelligit, istiusmodi hominis animum non esse sedatum, idcirco neque Deum ei dare quidquam posse : fidem autem sedare animum, diuinaeque gratiae facere capacem. Altero autem modo peccat, quod fidißimum et veracissimum Deum suum in numero mendacium et fraudu-

du-

„dulcentorum virorum habet, qui promissis suis
 „non possit aut velit satisfacere, adoque dubi-
 „tatione sua Deo gloriam et nomen fidelitatis
 „ac veracitatis eripit; qua in re tantopere
 „peccatur, ut hoc ipso peccato christianus ho-
 „mo euadat alienigena, suumque ipsius Deum
 „abneget et amittat.“ (4) In nomine Iesu Chri-
 sti, hoc est, ipsius iussu et promisso, per de-
 precationem eius, in adspersione sanguinis
 eius, et in communione cum eo, Io. XIV,
 6. 13. 14. XV, 7. XVI, 23. 26. Eph. II, 18.
 Hebr. X, 19. 20. (5) Ex diuina voluntate,
 1 Io. V, 14. Quæ omnia Christus vocat Pa-
 trem adorare in spiritu et veritate, Io. IV, 24.
 Semper etiam orandum est, nec defatigari
 oportet, Luc. XVIII, 1. 1 Theff. V, 17. sed
 precibus incumbere in illisque perdurare,
 Rom. XII, 12. Col. IV, 2. Eph. VI, 18. et
 hunc in finem donum precum contra vitio-
 sæ carnis socordiam in se excitare. Licet
 etiam quouis loco preces fieri, modo ne fiant
 in speciem, sed sublati sanctis manibus ci-
 tra iram et disceprationem, 1 Tim. II, 8.
 Io. IV, 23. 24. Matth. VI, 5. 6.

§. VII.

Quisnam *Finis, utilitas et fructus* precum est (1)
 precum amica Dei ad nos adpropinquatio, Iac. IV, 8.
 finis, utili- Pf. CXLV, 18. (2) impetratio diuini auxilii,
 tas et nobis et aliis necessariū, ad bonam et per-
 fructus? fectam Dei voluntatem, Matth. VII, 7. 8. Iac.
 V, 14. 15. quo omnia et in veteri et in nouo

re-

testamento consignata verorum adoratorum exempla spectant, (3) donum Spiritus sancti, Luc. XI, 13. Act. I, 14. coll. c. II, 4. (4) diuina mentis nostræ collustratio ad salutarem cognitionem nostri, Sir. LI, 18. 19. 25. 27. Dei, Ps. XXXIV, 5. 7. 9. CXVI, 4. 5. et mysteriorum eius, Ps. CXIX, 18. Dan. IX, 20. sqq. (5) gaudium in Spiritu sancto, Io. XVI, 24. Act. IV, 31. (6) victoria in omni certamine et tentatione, Matth. XXVI, 41. Eph. VI, 18. Matth. XV, 23. Gen. XXXII, 26. Exod. XVII, 11. et XXXII, 11-14. (7) animi alacritas et vis confitendi Deum et propter hanc confessionem aduersa quæque perpetiendi, Act. IV, 31. Matth. XXVI, 38. 39. 46. Huc etiam bona spectant omnia, ex præscripto orationis dominicæ petenda. Vid. supra §. V.

§. VIII.

Ad sedulum precum exercitium Christia- Ad sedu-
num quemque *excitare* debet (1) mandatum lum pre-
Dei, reliquorum ferme omnium sæpissime cum exer-
repetitum, vid. inter alia Matth. VII, 7. 8. citium
(2) Precum nostrarum promissa exauditio. quid nos
(3) Corporalis et spiritualis nostra aliorum excitare
que indigentia et miseria, de qua per septem debet?
petitionum orationis dominicæ argumentum
admonemur. (4) Magnitudo et grauitas bo-
norum, quæ precum beneficio impetrare a
Deo possumus, vid. supra §. V. (5) Flagrans
amor cælestis Patris, ex quo ad preces no-
stras exaudiendas gratiamque, amorem ac
vim

vim suam in nobis diffundendam promtus paratusque est. Io. XVI, 27. Luc. XI, 13. Pf. LXXXI, 11. *LUTHERVS* in Psalm. CXX. Tom. II. Witteb. fol. 512. b. (Tom. VII. Alt. fol. 494. b.) „*Sic dicit Bernhardus alicubi, nec memini, me quidquam legisse in omnium recentiorum scriptis, de oratione aut pulchrius, aut magis pie dictum. Fratres, inquit, nolite dubitare de oratione vestra, sed scitote, quando verbum per os erumpit, tunc oratio vestra scripta est in oculis Dei, et aut fiet, quod petitur, aut expedit non fieri. Quid potuit dici magis christianum? Quid consolatione plenius, quam quod Deus tamquam rex quidam munificentissimus ad omnes supplicationes nihil aliud respondet, quam: Fiat, quod petitur?*„ (6) Supplicatio Domini nostri Iesu Christi, sedentis ad dexteram Patris, Hebr. VII, 25. IX, 24. 1 Io. II, 1. Rom. VIII, 34. vid. Part. I. Art. VI. §. II. (7) Intercessio Spiritus sancti, Rom. VIII, 26. 27. (8) Oratio tot legionum sanctorum in celo et terra, quorum in communione per preces versamur. Denique (9) insignis et sempiterna utilitas, quam preces tamquam fructus Spiritus et hoc tempore et in omni æternitate adferunt.

§. IX.

Quod
nam offi-
cium no-
strum se-

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) Spiritui diuino ad efficiendam in nobis pœnitentiam et fidem, sine qua pre-

preces, quæ a Deo exaudiantur ipsique placundum
 ceant, facere non possumus, locum relinquendo-
 quere, vid. §. IV. (2) Toto vitæ nostræ tem-
 pore operam dare, ut diuinis præceptis ob-
 temperemus, utpote qua ex re semper certo
 cognoscimus, Deum preces nostras exaudi-
 re, 1 Io. III, 22. (3) Acceptam gratiam ad
 sedulum seriumque precum exercitium con-
 ferre, eumque in finem numquam non fru-
 gi esse et sobrios ad supplicationes, 1 Petr.
 IV, 8. (4) Semper etiam cum vera animi de-
 votione, in necessitatibus nostrarum agnitio-
 ne, in nomine Iesu Christi, ad diuinam vo-
 luntatem precari, vid. §. VI. (5) Non pro
 nobis solis, sed pro aliis etiam orare, vid.
 §. VI. (6) Cum aliis etiam fidelibus Chri-
 stianis in precibus nos coniungere, tum
 propter emolumentum, submissis atque con-
 sociatis precibus promissum, Matth. XVIII,
 19. 20. tum propterea, ut aliorum dono
 precandi animos nostros ad preces tanto
 magis excitemus et inflammemus. (7) De
 impetrandis spiritualibus et cælestibus bonis
 primum et maxime laborare, eaque preci-
 bus a Deo petere, vid. supra §. V. (8) In pre-
 cibus durare nec defatisci, Luc. VI, 12. XI,
 8. sqq. XVIII, 1. sq. Rom. XII, 12. Col. IV, 2.
 Eph. VI, 18. 1 Theff. V, 17. *LVTHERVVS*
Comment. in Genes. XXV. Tom. VI. Witteb.
fol. 365. a. (Tom. IX. Alt. fol. 737. b.), „Seria
et ardens oratio, quæ non desinit, non defa-
ti-

ti-

„tigatur, sed expectat usque ad ultimum pun-
 „ctum, hæc tandem perrumpit cælum et ter-
 „ram, et est impossibile, ut non exaudiatur.
 „Tunc enim est sacrificium Deo gratissimum,
 „quando sic oramus, ut oratio excedat nostrum
 „captum et intellectum. Sicut ad Eph. III. dici-
 „tur: Qui potens est omnia cumulate facere
 „supra quam petimus aut intelligimus. Quan-
 „do desperata res est, omnia consilia et studia
 „irrita: ibi tum esto fortis, caue deficias. Quia
 „Deus ex mortuis et ex nihilo vocat omnia,
 „quando nihil rei aut spei est reliquum, ibi de-
 „num incipit Dei auxilium., (9) Deo nec
 modum nec tempus exaudiendi preces no-
 stras præscribere, sed omnia hac in re sapi-
 entia et sancto arbitrio eius permittere,
 Iudih. VIII, 10. 11. *LV THERVS* in Concione,
 quomodo sit orandum, Tom. I. Ien. lat. fol.
 333. a. (Tom. I. Alt. fol. 303. a.) „Illa fides,
 „qua Dei promissionibus credimus, sic nobis
 „moderanda est, ne quem terminum, tempus,
 „locum aut modum Deo statuamus, sed omnia
 „illa relinquamus voluntati, sapientia ac omni-
 „potentia ipsius, certi, fore, ut fiant, quæ pe-
 „timus, etiamsi neque locus, neque tempus,
 „neque etiam ratio, qua fiant, appareat. Hoc
 „enim certum est, diuinam sapientiam longe
 „melius illa nosse ac præuidere quam nos. Si
 „igitur Deo credideris, et omnia illius arbi-
 „trio deposueris, certo fient, quæ petis, vel
 „per miracula, si alia nulla sit ratio, qua fiant.
 „Id

„Id quod in populo Israelitico videmus, qui
 „quum Deo credidisset, fore, ut se liberaret ab
 „hoste, neque tamen via aliqua appareret, qua
 „id fieret, subito se mare rubrum aperuit, ac
 „viam, qua transirent, dedit, hostes autem
 „ad unum omnes obruit ac demersit.“ 10) Im-
 perratis iis, quæ petiuimus, debitam gra-
 tiarum actionem non prætermittere, sed
 potius, quidquid boni a Deo per preces ob-
 tinuimus, ad gloriam eius et nostram alio-
 rumque vilitatem et salutem conferre, Ps.
 L, 15. 23. 1 Theff. V, 18. qua in re optima
 gratias agendi et habendi ratio sita est.

§. X.

Solatium, quod dilecti Dei filii hinc ha- Quod-
 bent, est: (1) quod cælestis ipsorum Pater nam dile-
 sciat, quibus egeant, antequam eum rogent, ctorum
 Matth. VI, 8. *LVTHERVS* in Matth. VI. Dei filio-
 Tom. VII. Witteb. fol. 48. b. (Tom. V. Alt. rum sola-
 fol. 869. a.) „Dixeris autem: Cur ergo nos tium?
 „orare sinit et necessitates nostras ipsi precibus
 „significare, nec dat non rogatus, quum omnes
 „necessitates, quibus premimur, melius quam
 „nos ipsi teneat? tamen universo mundo quo-
 „tidie tot bona nequidquam largitur, utpote
 „solem, pluuias, frumentum, pecuniam, cam-
 „pos, et id genus alia sexcenta, pro quibus con-
 „sequendis illum nemo rogat, ac multo minus
 „gratias agit. Nouit enim, homines nullo die
 „luce, cibo et potu carere posse, cur ergo pro
 „harum rerum perceptione et fruitione orare

T

„iu-

„iubet? Resp. Ideo certe non iubet nos orare,
 „vt illum nostris orationibus doceamus, quid
 „nobis sit dandum, sed ideo, vt agnoscamus et
 „sateamur, cuiusmodi bona nobis dat, his mul-
 „to plura et velle et posse dare nobis, ita vt
 „nostris orationibus nos ipsos longe magis, quam
 „illum instituamus. Ita enim ego retrahor et
 „conuertor, ne cum impiis, hæc diuina dona
 „non cognoscentibus, nec gratias agentibus, abe-
 „am. Ad hunc modum cor meum ad Deum
 „conuertitur, et excitatur, vt illum laudem,
 „illi gratias agam, ad illum necessitate pressus
 „confugiam, et auxilium ab illo indubitanter
 „expectem. Et hæc omnia eo spectant, quo
 „mihi subinde magis atque magis fiat notior,
 „cuiusmodi Deus sit. Cumque tantum penes il-
 „lum queram et pulsem, volupe ipsi est tanto
 „impensius et opulentiùs petenti et pulsanti lar-
 „giri., (2) Quod ipse per Spiritum sanctum
 preces in eis efficere, per eumque infirmita-
 tibus eorum succurrere velit. Vid. supra §. II.
 (3) Quod non solum omnes eorum preces,
 quas ad voluntatem ipsius faciant, certo
 audiat, et quidquid ab eo poscant, det, sed
 etiam omnia longe lateque copiosius faciat
 et facere possit, quam ipsi poscere aut cogi-
 tare, 1 Io. III, 22. V, 14. 15. Eph. III, 20.
 Vid. etiam Gen. XXIV, 12. seqq. Dan. IX, 20.
 seqq. Act. X, 2. 4. (4) Quod ipse Christus
 pro ipsis oret, et Spiritus sanctus supplicet
 gemitibus ineffabilibus, sic, vt Deus postulat,
 vid

vid. §. VIII. (5) Quod precibus etiam et supplicationibus omnium electorum, sanctorum amatorumque Dei fruantur, Matth. VI, 9. (6) Quod non solum in quouis certamine et tentatione fidei prece vincere possint, sed per eandem etiam ex plenitudine Iesu Christi aliam atque aliam gratiam et virtutem participant, vid. supra §. VII. (7) Quod futurum sit, ut omnis supplicatio, quæ heic in infirmitate perficitur, in sempiternum Halleluah conuertatur, et ipsi electis angelis et hominibus vniuersis consociati coram solio Dei et Agni sine intermissione hoc ipsum decantare dignentur, Apoc. V, 13. VII, 15.

ARTICVLVS VICESIMVS

DE

ECCLESIA.

§. I.

Hactenus statu gratiæ, per Christum reparatæ, tam ratione diuinorum beneficiorum, quam mediorum salutis et necessarij ordinis ex parte hominum, considerato, reliquum est, ut gratiæ etiam participes spectemus, qui simul summi nomine ecclesiæ appellari solent; de qua proinde præcipua momenta in hoc articulo et ex scriptura sacra ad eiusque ductum in medium proferenda sunt.

T 2

§. II.

§. II.

Ecclesia a
quonam
originem
habet, et
cuius est?

Is, a quo, tamquam causa suprema seu principali, ecclesia originem habet, et cuius est propria, solus *Deus triunus* est, unde domus Dei, ecclesia Dei viuentis, 1 Tim. III, 15. templum Dei, 2 Thess. II, 4. agricultura Dei et ædificium Dei, 1 Cor. III, 9. Matth. XVI, 18. vinea, quam dextera Dei conseruit, Pf. LXXX, 9. 16. Ies. V, 1. 7. Matth. XX, 1. aliisque nominibus pluribus vocatur; sicut illi, qui ecclesiam constituunt, populus Dei, et filii Dei viuentis appellantur, Rom. IX, 26. quippe qui eos non creauit solum, sed etiam cælesti uocatione populum suum fecit, Pf. C, 3. siue per Spiritum suum, uerbi sui et baptismatis beneficio, ad hoc sanctificauit, ut ecclesia ipsius sint et nomenclentur. In quibus rebus omnibus diuinam sapientiam, omnipotentiam et misericordiam suam prodit et manifestat. Ita speciatim *Pater* homines ex tenebrarum potestate vindicare et in regnum sui carissimi Filii transferre dicitur, Col. I, 13. *Christus* autem *Iesus* suo sanguine ecclesiam comparauit, Act. XX, 28. Tit. II, 14. Apoc. V, 9. sanctam eam reddit, aquæ lotionem purgatam, diuinis uerbis, Eph. V, 26. 27. adest in ecclesia præsens ad eam tuendam et conseruandam, Apoc. I, 13. II, 1. Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20. cum ea, tamquam spiritali sponsa, spiritali quadam et mystica ratione coniunctus et copulatus est, quam

quam et fouet, Eph. V, 29. vrpote quæ caro est de carne eius, et os de ossibus eius, com. 30. siue corpus eius mysticum, quod ille non tantum ceu caput sapienter regit, sed spiritu etiam et virtute sua animat, vid. infra §. VI. *Spiritus sanctus* in hoc tamquam opere suo proprio sese manifestat, quod, vti in expositione articuli tertii Symboli Apostolorum verba habent, totam ecclesiam in terra vocat, congregat, illuminat, sanctificat, et in Iesu Christo per veram atque vnicam fidem conseruat.

§. III.

Per *ecclesiam* autem non intelliguntur Quinam alii, quam qui per cælestem vocationem ex sunt pro-regno satanæ seu peccati liberati, et in ordine prie ec-clesia? veræ pœnitentiæ ac fidei ad communionem Christi et Spiritus ipsius perducti sunt: vti emphasis vocabuli *ἐκκλησία* declarat, quippe quod ex diuino sensu proprie *euocatum* (e regno scilicet satanæ) *cætum* significat. Hinc dicuntur (*γένος ἐκλεκτὸν*) genus electum, regale sacerdotium, sancta gens, populus adquisitus, virtutem prædicans eius, qui ipsum ex tenebris in suam lucem mirabilem vocauit. 1 Petr. II, 9. *LV THERVS* de Concil. et Ecclef. Tom. VII. Alt. fol. 283. b. „*Vocabulum KIRCH nobis Germanis obscurum sane et ignotum est, nec eum sensum dat, quem tertio Symboli Apostolici articulo sumi oportet.*... *Christiani gens sunt peculiariter vocata,*

„nec simpliciter nominantur gens, siue ECCLE-
 „SIA, sed SANCTA, sed CATHOLICA eccle-
 „sia, quæ credit in Christum. Hinc appellatur
 „gens christiana sanctumque Spiritum habet,
 „qui eos quotidie sanctificat, non solum pecca-
 „torum condonatione, per Christum ipsis parta,
 „sed etiam abolitione, expurgatione, et morti-
 „ficatione peccatorum, unde populus sanctus
 „vocitantur. Itaque sancta ecclesia christiana
 „idem est ac populus, qui christianus et sanctus
 „est, siue, ut loqui amant, sancta christianitas.”

Quicumque ergo externe quidem ecclesiæ
 christianæ nomen dant, verbum Dei audi-
 unt, et sacramentis externe vtuntur, seu no-
 men Christi nominant, ab iniustitia autem
 non recedunt, nec e peccato et potestate sa-
 tanæ ad Deum se conuertunt, illi non sunt
 proprie ecclesia, aut illius sincera ac viuæ,
 sed mortua membra, Caino in domo Adami,
 Gen. IV, 3. 4. 7. Chamo in domo Noachi,
 IX, 22. 25. Ismaeli in domo Abrahami, XXI,
 9. Gal. IV, 29. 30. 31. Esauo in domo Isaa-
 ci, Gen. XXV, 32. XXVII, 41. Obad. com. I.
 9. 10. ceteris, consimiles. LUTHERVS in
 Io. I. Tom. VI. Alt. fol. 1218. b. fin. seq. „Du-
 „plicis generis Israelitæ sunt et Christiani. Is
 „verus Israelita est, qui promissionem et fidem
 „habet Abrahami, nec simulate, sed pure ac
 „simpliciter doctrinæ prophetarum credit, et
 „promissioni diuinæ innititur, sicut Nathanael
 „hæc facit, omnesque Christiani etiam nunc fa-
 „ciunt.

Anne
 omnes,
 qui eccle-
 siæ no-
 men ex-
 terne
 tanæ, vera
 eius
 membra?

„ciunt. Quando sunt baptizati, audiunt euan-
 „gelium, lectitant sacras scripturas, ad sacrum
 „eucharistie epulum accedunt, amant alterum:
 „hi nomine christiano recte utuntur, verique
 „sunt christiani. Deinde etiam dantur falsi
 „Christiani, qui quidem sacro baptismate et cœ-
 „na dominica utuntur, et de scripturis aque
 „ac veri Christiani sermonem instituere possunt,
 „et utrique verbum diuinum ante oculos posi-
 „tum habent. Enim vero illi externa tantum
 „specie et nomine Christiani sunt; neque enim
 „credunt, et intus dissidentia, inuidia et odio
 „referti sunt, adulteri, auari, malefici, omni-
 „busque flagitiis et sceleribus, quibus mundus
 „hodie coopertus est, contaminati, vitam agen-
 „tes sicuti Turci et Sarmatæ aliique populi mo-
 „ribus immanes. Quodsi ita Christianos alios
 „ab aliis secernere et diuidere voluerimus, quot,
 „quæso, Christianos inuentum iri existimas?
 „Mundus enim plane stultus et insipiens est,
 „indomitus atque effrenatus, et omnis generis
 „flagitiis, impudicitia, ebrietate, vlciscendi
 „libidine aliisque peccatis obrutus. Non am-
 „plius in vitiis ponitur, aut dedecoris aliquid
 „creditur habere, si alius alium decipiat; et
 „nihil tamen secius omnes boni Christiani vi-
 „deri volunt. At enim vero, mihi crede, ne-
 „minem præter te ipsum decipis, Deus non
 „decipitur nec eluditur.”

§. IV.

Ex diuersa conditione eorum, qui eccle- Ecclesia
 T 4 siæ quomodo

distingui-
tur?
Ecclesia
visibilis
quænam?

siæ membra sese esse profitentur, et externa
verbi ac sacramentorum communione fruun-
tur, oriunda est *distinctio ecclesiæ* in *visibilem*
et *inuisibilem*. Per ecclesiam *visibilem* intelli-
gitur vniuersus cætus eorum, qui doctrinam
Christi externe profitentur, et quæ adeo bo-
nos et malos, regenitos et irregenitos com-
plectitur, et proinde est *magna illa domus*,
in qua alia vasa ad res honestas, alia ad in-
honestas sunt, 2 Tim. II, 19. 20. *euerricu-
lum*, cuiusque modi res colligens, bonas et
malas, Matth. XIII, 47. 48. *fundus*, in quo
triticum et malæ herbæ simul apparent,
com. 26. *ouile*, in quo oues et hædi repe-
riuntur, Io. X, 1. 26. *vineæ*, in qua viti et
labruscæ succrescunt, Ies. V, 4. Mich. VII, 1. 4.
LUTHERVS in Io. XVI. Tom. VII. Alt. fol.
181. a. sqq. „Non omnes sancti, qui calcant
„limina templi, nec omnes ecclesia, qui nomen
„ecclesiæ crepant et gerunt. Sæpe enim magna
„differentia intercedit inter nomen et rem.
„Nomen ubique peruagatur, omnesque vocan-
„tur populus Dei, filii Abrahami, Christi mem-
„bra et discipuli, neque tamen ideo sunt. Sub
„ista enim appellatione multi delitescabant ne-
„bulones et homines nequam, qui verbo diuino
„parere volebant, sed contra repugnabant, et
„tamen sanctorum patriarcharum heredes et
„posteriores, sacerdotes et vates vocabantur. Ha-
„beant quidem legem et promissionem diui-
„nam, templum et sacerdotium, et populus
„Dei

„Dei esse debebant : Enim vero tantam ido-
 „latriam patrabant ista omnia iactantes, vt
 „Deus necessum haberet declarare per Oseam,
 „c. II, 10. templum et sacerdotium illud non
 „fore amplius templum et sacerdotium suum,
 „et populum illum non fore populum suum, sed,
 „qui non sit populus, ei dicendum esse : Vos
 „estis filii Dei viventis.,” Veteris testamenti Quenam
 temporibus visibilis ecclesia in solo populo in veteri
 Iudaico fuit, Pf. CXLVII, 19. 20. Ief. V, 1. testamen-
 Rom. IX, 4. et speciatim quidem vrbs Hiero- to visibilis
 solymorum locus erat, vbi Deum coli oportet ecclesia
 rebat. Deut. XII, 5. 6. Io. IV, 20. In nouo au- fuit ?
 tem testamento, alienigenis etiam ad rem- An in no-
 publicam Israeliticam perductis et per san- uo etiam
 guinem Iesu propinquis factis, per totum ter- testamen-
 rarum orbem diffusa est, vid. Eph. II, 12. 22. to certo
 III, 5. 6. quo etiam parabola Christi spectant. populo
 Luc. XIV, 16. sqq. Matth. XXI, 33. sqq. Inui- adstricta
 sibilis est solus cætus electorum, sanctorum est ?
 amatorumque Dei, quos mundus non nouit, Ecclesia
 adeoque odit et vexat ; qui autem Domino invisibilis
 noti sunt, qui ipsos amat et custodit, 1 Io. III, quænam ?
 1. 2 Cor. VI, 9. Sap. II, 12. 20. De hac in-
 visibili ecclesia sola intelligendæ sunt omnes
 promissiones, quæ ecclesiæ Dei datæ sunt, in
 primis ea, quod orci portæ illam non sint
 superaturæ, Matth. XVI, 18. coll. Gen. XXII,
 17. Pf. XLVI, 2. 6. LXXXVII, 1. Cant. VI,
 9. Ief. XXXIII, 20. Io. X, 28. 29. Rom. VIII,
 35. 39. 2 Cor. X, 4. 1 Io. V, 4. 5. Apoc. XII,

Ecclesia
inuisibilis
quomodo
diuidi-
tur?

11. XX, 9. cui etiam proprietates, in articulo tertio Symboli Apostolici ecclesiae adsignatae, quod sit *sancta catholica ecclesia*, proprie competunt. Respectu huius vitae, ubi adhuc cum diabolo, Eph. VI, 10. sqq. 1 Petr. V, 8. 9. cum mundo, 1 Io. V, 4. Iac. IV, 4. et cum carne sua, Gal. V, 17. 1 Petr. II, 11. dimicare, et aduersa multa sufferre necesse habent, (vid. Part. II. Art. XVIII. de cruce,) *ecclesia militans*; respectu autem futurae et gloriosae vitae, in qua omni dimicationi et afflictioni prorsus erepti, confecto fidei certamine, coram Domino recreabuntur, qua de re septem promissiones Apoc. II. et III. descriptae in primis testantur, (vid. etiam cap. IV. et VII.) *ecclesia triumphans* dicitur. *LUTHERVS* Comment. in Gal. IV. edit. Germ. Tom. VI. Alt. fol. 799. a. (in edit. Latin. Tom. V. Witteb. fol. 394. b. haec paullo aliter et concisius leguntur.) „*Ecclesia triumphans extra hanc vitam in caelo est, quae numquam dimicat, sed iam omnia superauit et vicit. Ecclesia militans est, quae in terra adhuc arma aduersus hostes, hoc est, peccatum, mortem, diabolum, ceteros, ferre, cum eisque configere necesse habet.*„

§. V.

De notis
ecclesiae
quid nota-
ndum?

Ex descriptione eorum, qui proprie sunt ecclesiae, inter alia apparet, quod, quum *pura verbi praedicatio et legitima sacramentorum administratio* (quo etiam *legitimus clauum*

vium *usus* a *LVTHERO* hoc nomine memorari solitus, secundum Matth. XVIII, 15. 16. pertinet) *nota* veræ ecclesiæ esse dicuntur, hoc non ita intelligendum sit, ac si omnes et singuli, qui verbum Dei audiunt et sacramentis vtuntur, ideo pro sinceris ecclesiæ membris habendi sint, sed quod, sicubi verbum Dei pure docetur, et sacramenta vna cum clauibus cælorum secundum ordinem a Christo præscriptum administrantur, ex eo animaduerti possit, esse ibi vi promissionis diuinæ Ies. LV, 10. 11. Matth. XXVIII, 20. ecclesiam, filios Dei habentem et generantem. *LVTHERVS* de Concil. et Ecclesi. Tom. VII. Alt. fol. 286. a. „Primum christianus et sanctus populus ex eo dignoscitur, si sanctum Dei verbum habeat. Tametsi dispar huius rei est ratio, quemadmodum Paulus testatur. Alii enim id omnino purum habent, alii minus purum. Qui illud purum habent, vocantur ii, qui aurum, argentum, gemmas iacto fundamento superstruunt: qui id impurum habent, vocantur illi, qui ligna, scænum, stipulas iacto fundamento superstruunt, et tamen euadunt ipsi, sic vt per ignem. Hoc caput est et summum sacrarium, vnde populus christianus appellatur sanctus. Verbum enim Dei sanctum est, et sanctificat, quidquid tangit, quid? quod ipsa Dei sanctitas est. Diuina potentia est, salutaris omni fidenti, cum Græco, tum Iudæo, Rom. I, 16.

„Sancti-

„Sanctificantur omnia per verbum Dei et pre-
 „ces, 1 Tim. IV, 5.„ Et paullo post: „Vbi-
 „cumque igitur audis vel vides istud verbum
 „predicari, fidem ei haberi, fieri eius confes-
 „sionem, in ipsam praxin illud deduci, ne
 „dubita, quin sit ibi vera, sancta, catho-
 „lica et christiana ecclesia, etiamsi sint per-
 „pauci. Verbum enim Dei non redit infecta
 „re, Ies. LV, 11. sed aliquam saltem partem
 „agri habeat, oportet.„ It. fol. 287. a.
 „Postea populus Dei vel sancti Christiani co-
 „gnoscuntur e clauibus, quibus publice vtun-
 „tur, hoc est, quemadmodum Christus Matth.
 „XVIII, 15. 16. precipit, si quis Christianus
 „peccauerit, eum reprehendendum, et, si se
 „non emendauerit, ligandum et ecclesia eii-
 „ciendum, si vero se correxerit, absolvendum
 „esse. Haec sunt clauis. Iam vero vsus cla-
 „uium duplex est, publicus et priuatus.
 „Sunt enim alii tam pauida et fracta con-
 „scientia, vt, quamuis non sint publice da-
 „mnati, tamen consolari ipsi se non possint, nisi
 „priuatim a parrocho absoluantur. Alii vero
 „tam duri sunt, vt nec ex animo et coram pa-
 „rocho priuatim condonare, nec a peccando
 „desistere velint. Quocirca vsus clauium omni-
 „fariam vigere debet, publice et priuatim.
 „Quodsi igitur peccata aliis remitti, in aliis
 „reprehendi vides, siue publice id fiat, siue pri-
 „uatim, ibi populum Dei esse scito. Vbi enim
 „non est populus Dei, ibi nec clauis sunt: et
 „vbi

„ubi non sunt claves, ibi nec populus Dei est.
 „Christus enim eas ideo in terra reliquit, ut
 „essent publicum signum et sanctuarium, quo
 „Spiritus sanctus (morte Christi adquisitus)
 „lapsos peccatores rursus sanctificaret, et Chri-
 „stiani ostenderent esse se populum sanctum sub
 „Christo in hoc mundo: et ut illi, qui ad fru-
 „gem redire et sanctificari nolunt, a sancto isto
 „populo exturbarentur, hoc est, ligarentur et
 „per clauem excluderentur. „ Quod ad no- ^{Quanam}
 tas uniuscuiusque sinceri membri ecclesie chri- ^{notæ uni-}
 stianæ in specie attinet, eadem illæ sunt, e ^{uscuius-}
 quibus quilibet verus ac sincerus Christia- ^{que veri}
 nus cognoscitur et diiudicatur, (vid. su- ^{membri}
 pra Part. II. Artic. VI. §. VII. de notis ^{ecclesie in}
 et ^{specie?} regenerationis,) quarum
 præcipuæ sunt (1) abscessio ab iniustitia, 2
 Tim. II, 19. (2) obedientia erga præcepta
 Dei, Io. VIII, 31. 34. imprimis (3) abne-
 gatio sui ipsius et mundi, Luc. IX, 23. XIV,
 26. (4) imitatio Christi, Io. X, 27. (5) mu-
 tua inter ipsos caritas, Io. XIII, 34. 35. (6)
 studium pacis, I Cor. XI, 16. et (7) crux,
 siue odium mundi, Io. XV, 19. **LVTHE-**
RVS de Concil. et Ecclef. Tom. VII. Alt. fol.
 291. b. „Sanctus Christianorum populus ex-
 „terne e sanctæ crucis sanctuario cognoscitur,
 „quod eum oportet quamuis calamitatem et ve-
 „xationem, omnis generis tentationes et mala
 „(uti oratio dominica docet) a diabolo, mundo
 „et carne; intrinsecus tristitiam, timorem,
 „terro-

„terrorem; extrinsecus paupertatem, contem-
 „tum, morbum, infirmitatem sufferre, ut Chri-
 „sto, capiti suo, conformis reddatur. Et hæc
 „etiam una sola causa sit, necesse est, quod Chri-
 „sto et verbo Dei firmiter adhereat, adeoque
 „propter Christum patiatur, Matth. V, 10.
 „Beati, qui iustitiæ causa inestantur. Opor-
 „tet eos esse pios, pacatos, obediētes, vitam-
 „que et bona sua magistratui et unicuique de-
 „vouere, ledere autem neminem. Nec sit,
 „oportet, ullus populus in orbe terrarum, qui
 „tam acerbum odium incurrat, quam quidem
 „Christiani. Peiores habendi sunt, quam Iu-
 „dæi, Pagani, Turci. Ad summam, hæretici,
 „nebulones, diaboli, execrabilēs et nocentissimi
 „hominum, quos terra alat, appellandi, adeo,
 „ut illi etiam Deo cultum se præstare putent,
 „a quibus suspenduntur, in aquis suffocantur,
 „occiduntur, adfliguntur, exturbantur, ve-
 „xantur; nec sit, qui eorum misereatur, sed
 „myrrha ac fel potandum eis detur sitienti-
 „bus: neque id idcirco, quod sint adulteri, ho-
 „micide, fures et veteratores, sed, quia so-
 „lum Christum nec alium Deum habere cu-
 „piant. Hæc ubi videris vel audiueris fieri,
 „ibi noris sanctam et christianam esse eccle-
 „siam. Vid. etiam Part. II. Artic. XVIII.
 de cruce.

§. VI.

Quamquam Quum ecclesia sit corpus Christi, ideo
 in com- membra eius spirituales habent commu-
 nio.

nionem cum ipso Christo, et mutuam inter
 fe, 1 Io. I, 3. Beneficio communionis cum
 Christo, cum quo per fidem uniti sunt, ab
 ipso, tamquam capite suo et caelesti Aarone,
 pretiosum unguentum, Pf. CXXXIII, 2. siue
 vunctionem Spiritus eius, 1 Io. II, 20. 27.
 illiusque varia dona tam administrantia
 quam sanctificantia, 1 Cor. XII, 5. sq. Rom.
 XII, 3. sq. Eph. IV, 8. accipiunt, ita ut sit
 Christo in
 quo sita?

τὸ πλήρωμα τῆς πάντων ἐν πᾶσι πληρωμένε,
 complementum omnia complementis in omni-
 bus, Eph. I, 23. III, 19. Col. II, 10. LV-
 THERVS de Papa Romano, Tom. I. Alt.
 fol. 459. a. „Uniuscuiusque capitis corpo-
 „rati natura est, in membra sua vitam omnem,
 „sensus et opera infundere, quod etiam in ca-
 „pitibus politicis ita se habet. Princeps enim
 „alicuius regionis in potestate sua subiectos
 „omnia infundit, quæ in animo et voluntate
 „sua agit, facitque, ut omnes ciues similem
 „sui animum et voluntatem indispiscantur, fa-
 „ciantque opus, quod ipse vult. Quod opus
 „proinde vere dicitur ex principe fluxisse in
 „eos, qui ei parent: nam sine eo hoc non fe-
 „cissent. Iam vero nemo mortalium vel alte-
 „rius vel suo ipsius animo fidem, mentem, vo-
 „luntatem et opera Christi instillare potest, nisi
 „ipse Christus. Neque enim ullus papa vel
 „episcopus efficere potest, ut fides, vel quid-
 „quam vere christianum in cuiuspiam hominis
 „animo oriatur. Sed enim hominem christia-

num

„num oportet eandem habere mentem, ani-
 „mum et voluntatem, quam in celo habet Chri-
 „stus, uti Paulus I Cor. II, 16. docet. Fit
 „itaque, ut christianum membrum fidem ha-
 „beat, quam tamen nec papa habet, nec episco-
 „pus; quo pacto igitur eius esset caput? Quod-
 „si sibi ipsi vitam spiritualis ecclesie dare ne-
 „quit, quomodo in alterum eam infundere
 „poterit? Quis ullum umquam animal viuum
 „vidit, cuius caput fuerit mortuum? Caput
 „vitam infundat, necesse est. Vnde manife-
 „sto liquet, non esse in terra caput spiritualis
 „Christianitatis præter solum Christum.,, Com-
 „munio membrorum ecclesie mutua, alias com-
 „munio sanctorum vocitata, in hoc consistit,
 quod tamquam vnus corporis membra sin-
 cera et ardentis caritatis vinculo ita in Chri-
 sto inter se nexi sunt et copulati, ut omnia
 spiritualia et cælestia dona ac bona, Eph.
 IV, 4-6. nec non gaudia et afflictiones
 communes inter se habeant, I Cor. XII, 26.
 alii etiam cum aliis et pro aliis ardentem
 orent, Matth. XVIII, 20. Eph. VI, 18. Vnde
 mutua illa membrorum opitulatio efficitur,
 per quam totum corpus diuino crescit aug-
 mento. Eph. IV, 16. Col. II, 19. Rom. I,
 11. 12. Longe omnium clarissime luxit
 hæc sanctorum communio in prisca eccle-
 sia apostolica, Act. I, 14. II, 44-47. IV, 32.
 Ceterum ecclesie Dei in terra cum trium-
 phante in celo communio est sub vniuer-
 sali

Quam
 commu-
 nionem
 inter se
 mutuam
 habent?

fali capite Christo Iesu, vti inter alia docetur Gal. IV, 26. Ephes. I, 10. Hebr. XII, 22. 23.

§. VII.

Finis, propter quem Deus in terra sibi ecclesiam colligit et conseruat, in eo positus est, vt corpus Christi eiusque membra in se ædificentur, et aliquando ad plenam diuinæ gloriæ fruitionem in ecclesia triumphante perducantur, Eph. IV, 12. 16. V, 27. I Cor. XII, 4. sq. in his autem omnibus varia sapientia et ineffabilis amor ac fidelitas Dei in ecclesiam suam, et hoc tempore et per omnia sæcula, agnoscatur, prædicetur ac concelebretrur. Eph. I, 11. 12. III, 10. Apoc. V, 9. 10.

§. VIII.

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) cauere, ne mere externa ecclesie communionem, quod in ea nati simus et educati, externisque salutis mediis vtamur, temere confidamus, quippe propter quam per se nemo beatus habendus est; Matth. III, 9. Io. VIII, 33. 39. Rom. II, 28. 29. IX, 6. 7. 8. I Cor. X, 1-5. (2) contra ea permittere, vt noua natura, siue viuæ fides et ardens ac sincerus amor, vinculum illud internæ communionis cum Christo capite, et omnibus spiritualibus corporis ipsius membris, per Spiritum sanctum in nobis efficiatur, vtpote quod ad hanc rem, vt quis verum

rum ecclesiæ christianæ membrum sit, absolute necessarium est; Gal. V, 6. VI, 15. 2 Cor. V, 17. (3) ex hoc fundamento Christum, caput nostrum concelebrandum omni-que plenitudine donorum Spiritus vñctum, firmiter tenere, Eph. IV, 15. Col. II, 19. et ex plenitudine eius gratiam pro gratia accipere, Io. I, 16. in ipso crescere diuino augmento, nec minus aliorum, qui pariter ac nos corporis Christi membra sunt, ædificationi et emendationi inferuire; Eph. IV, 15. 16. (4) vi mutæ communionis, prout quisque aliquo munere dotatus est, ita in confortes in spiritali corpore Christi dispensare, vt totum corpus incrementum capiat ad semet exstruendum caritate, Eph. IV, 16. Rom. XII, 3. sq. 1 Cor. XII, 5. sq. 1 Petr. IV, 10. (5) spiritus vnitatem pacis vinculo studiose tueri, Eph. IV, 3. Phil. II, 2. adeoque idem omnes loqui, 1 Cor. I, 10. Christum in seruis suis non diuellere, com. 12. 13. aliis non inuidere, nec eos iudicare, vel despiceret, Rom. XIV, 10. 13. 1 Cor. XII, 15. sqq. conscientias infirmorum fide non turbare, Rom. XIV, 1. nihil agere per diffidentiam aut ostentationem, Phil. II, 3. non deferere sanctorum consociationem, Hebr. X, 25. imbecillos cum animi comitate reficere, Gal. VI, 1. alios aliis obedire cum Dei metu, Eph. V, 21. 1 Cor. XIV, 32. 34. de fratrum bono gaudere, eorumque perpeffiones participare,

re, 1 Cor. XII, 26. alios cum aliis et pro aliis precari, Eph. VI, 18. Iac. V, 16. tandem ex animo inuicem condonare, si quis habet, quod de alio expostulet, Matth. XVIII, 22. Eph. IV, 32. Col. III, 13. et, quidquid præterea ad efficiendam et conseruandam vnitatem spiritus spectat, curare; (6) ad variam Dei sapientiam in gubernanda ecclesia sua, ad omnipotentem ipsius virtutem in ea ipsa aduersus tot hostes tuenda et conseruanda, et ad iudicia illius, quæ in hostes ecclesiæ exercet, animum diligenter attendere, vt hinc fidem nostram confirmemus, et ad laudandum ac concelebrandum Deum nos excitemus; Rom. XI, 33, 36. Apoc. XV, 3. 4. denique (7) Deum suppliciter precari et implorare, vt ecclesiam suam in terra longius latiusque diffundat et explicet, dataque ei promissa vniuersa faciat vt appareant. Psalm. LXXX, 9. sqq. CII, 14. sqq.

§. IX.

Solatium verorum ecclesiæ membrorum *Solatium*
in eo consistit: (1) Quod ipsis propter spi- verorum
ritualem, quam cum Christo capite ecclesiæ ecclesiæ
habent, communionem, nec diuina ad vitam membro-
et pietatem pertinens vis, nec necessaria con- rum
solatio et recreatio in huius æui perpeffio- quod-
nibus deesse possit; vid. §. VI. (2) Quod nam?
vnumquodque membrum, vi mutue com-
munionis, bona et dotes vniuersi corporis
omnemque inde ad illustrationem nominis

V 2

Chri.

Christi existentem *fructum* participet, et ex ceterorum membrorum omnium interpellatione emolumentum sperare et expectare possit; 1 Cor. III, 21. 22. vid. §. VI. (3) Quod, licet in hoc mundo inter homines malos et falsos fratres, qui ipsos non cognoscunt, vivant, ab eisque premantur et diuexentur, Deus tamen illos amet et populum suum agnoscat; quem quoque intermisti illis sic, ut ipsi placet, possint colere, 2 Tim. II, 19. 20. 2 Cor. VI, 9. Phil. II, 15. qui etiam ex ecclesiae suae agro malas herbas aliquando euulsurus areamque suam expurgaturus est; Matth. III, 12. 13. XIII, 30. 41. (4) Quod ecclesia Christi super ipso Christo, spiritali illa petra et lapide angulari, constructa sit, nec orci portae eam superare possint; Eph. II, 20. 21. Matth. XVI, 18. vid. §. IV. (5) Quod Christus aduentu regnoque suo omnes illius hostes, diabolum et antichristum una cum vniuersa eius cohorte, iudicaturus sit atque deleturus; 2 Tim. IV, 1. 2 Thess. I, 8. 9. Apoc. XVIII, 2. XIX, 11. 21. XX, 1. 3. seq. (6) Quod tandem in splendore suo et pulchritudine, adhuc quidem latente, patefacienda, et *ἐνδοξος καὶ αἰμόμος*, gloriosa et sine macula et ruga, in diuinæ gloriæ conspectu sistenda; Col. III, 4. Cantic. VI, 9. Eph. V, 27. et (7) inter angelorum legiones (*ἐν πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ*) in conuentu vniuersali cœruque primogenitorum, in cælis con-

conscriptorum, adeoque in perfecta consociatione ac communione cum ecclesia triumphantre, Deum et Agnum pro omni bonitatis suæ opulentia æternum concelebratura sit, Hebr. XII, 22. 23. Eph. I, 11. 12. Apoc. V, 9. 10.

ARTICVLVS VICESIMVS
PRIMVS,

DE
MINISTERIO ECCLE-
SIASTICO.

§. I.

Homines, ex quibus constat ecclesia, secundum tres ita dictos status hierarchicos considerari possunt, qui sunt ministerium ecclesiasticum, magistratus politicus et status æconomicus. De quolibet agendum est separatim.

Homines,
ex quibus
constat ec-
clesia, quo-
modo
considera-
ri pos-
sunt?

§. II.

Ministerium ecclesiasticum, si originem eius spectes, per se ordo diuinus est, institutus a Deo triuno; vipote a quo omnes fidei doctores, in eo constituti, vocati et ad fructuosam fidelemque eius functionem idonei redditi sunt, 1 Tim. I, 12. 2 Cor. V, 18. 19. III, 5. 6. Rom. I, 5. Et quidem scriptura sacra omnium trium personarum mentionem hac in re facit. *Pater*, tam-

Ministe-
rium ec-
clesiasti-
cum ratio-
ne origi-
nis quid?

quam dominus messis, conducit et emittit operarios in messem, Matth. IX, 38. et vineam suam, c. XX, 1. *Christus* mittit seruos suos, quemadmodum misit ipsum Pater, Io. XX, 21. Matth. XXVIII, 18. 19. Speciatim post adfensionem in cælum partim apostolos, partim vates, partim euangelistas, partim pastores et magistros dedit, Eph. IV, 11. *Spiritus sanctus*, spiritualis ouilis ianitor, Io. X, 3. similiter constituit custodes, vt Dei pascant ecclesiam. Act. XX, 28.

§. III.

Ad ministerium ecclesiasticum quid requiritur?

Ad ministerium ecclesiasticum requiritur *diuina vocatio*, Rom. X, 15. Hebr. V, 4. 5. sine qua qui docendi prouinciam in ecclesia sibi arrogant, veritisque et illicitis viis capeffunt, rem faciunt Deo summopere odiosam, et indolem referunt eorum, quos *Christus* fures et latrones appellat, Io. X, 1. 8. 10. Distinguenda autem est vocatio ad munus ecclesiasticum *a vocatione generali ad christianitatem*, de qua supra Part. II. Artic. IV. edisseruimus. Quamquam enim omnes veri Christiani beneficio huius vocationis sacerdotes sunt spirituales, et propterea acceptas a Deo dotes ad communem vilitatem et ædificationem alterius conferre debent; 1 Petr. II, 9. Rom. XV, 14. 1 Theff. V, 11. 14. 1 Cor. XII, 7. Eph. V, 19. Col. III, 16. Hebr. X, 24. Act. XVIII, 26. nemini tamen, necessitate id minus flagitante, ex solo spiritualis

De ministerio ecclesiastico. 311

tualis sacerdotii iure, publicum docendi munus sumere licet, nisi specialiter sit ad hoc ipsum vocatus, Rom. X, 15. Hebr. V, 4. 5. Fit autem vacatio vel *immediate*: (quemadmodum in veteri testamento Moyses, Exod. III, 10. Iesaias c. VI, 8. 9. Ieremias c. I, 5. ceteri; in nouo autem LXX. discipuli, Luc. X, 1. et apostoli Domini, Matth. X, 1. speciatim Paulus, Gal. I, 1. vocati sunt:) vel *mediate* per homines, vti e. g. Paulus scribit Timotheo, vt, quæ ex se audiuerit, ea exponat fidei hominibus, qui sint ad alios etiam docendos idonei, 2 Tim. II, 2. et Tit. I, 5. quam vocationem mediatam, ex diuino quidem præscripto et regula factam, Deus suam ipsius agnoscit, vti videre est Act. XX, 28. Ceterum *ius constituendi verbi diuini ministros est penes totam ecclesiam Christi*; quemadmodum ex veteri ecclesiæ apostolicæ praxi constat, Act. I, 15. seq. VI, 5. XV, 22. 25. vnde nullus ordo hoc iure eiusus exercitio excludi debet aut potest.

§. IV.

In eligendis et vocandis ministris ecclesiæ non tantummodo, nec præcipue externa dis & vocalitas et dona administrantia, sed etiam ministris ecclesiæ ad dignam muneris Spiritus functionem absolute necessaria *dona sanctificantia* spectanda, adeoque haud alii ministerio iniuncti sunt, quam inculpati, Tit. I, 6. seqq. etandum?

V 4

I Tim.

1 Tim. III, 2. et myſterium fidei in munda
 tenentes conſcientia, com. 9. 16. Matth. XII,
 35. XIII, 52. Eſſi enim verbi diuini effica-
 cia ex nullius hominis bona vel deteriore
 qualitate pender, illi tamen, qui nondum
 conuerſi et illuminati, adeoque carnaliter
 adfecti ſunt, quærentes ſua, verbum diui-
 num ita tractare, aut ſic viuere haud poſ-
 ſunt, quin efficacia aut fructus eius ipſorum
 culpa in animis hominum variis modis im-
 pediatur, et contra multum detrimenti ac-
 cipiat res chriſtiana. Sir. XV, 9. Luc. VI, 39.
 2 Tim. II, 21. *LVTHERVVS* Poſtill. Eccleſ.
 in euangel. Dom. III. Aduent. (Tom. XIII.
 Lipſ. fol. 70. a.) „*Vbi vita non eſt frugi, raro*
 „*accidit, vt quis recte prædicet verbum Dei.*
 „*Semper enim aduerſus ſe ipſum verba faciat,*
 „*oportet, quod ſine falſum doctrinarum*
 „*ſuppoſitione vix fecerit.*” Item in Euan-
 gel. Dom. Sexageſ. (Tom. XIII. Lipſ. fol.
 391. a.) „*Hæc duo vitia (gloriæ cupido et*
 „*auaritia) miniſterio eccleſiaſtico naturaliter*
 „*et ex diametro oppoſita ſunt. Miniſterium*
 „*enim eccleſiaſticum inſtitutum eſt, vt ſo-*
 „*lius Dei gloriæ vacet ſtudeatque toto ani-*
 „*mo; et huius rei cauſſa contumelias et*
 „*maledicta pati debet, quemadmodum Iere-*
 „*mias conqueritur: Sunt mihi, inquiens, io-*
 „*væ dicta quotidiano PROBRO ac ignominia.*
 „*Mundus enim illa non fert. Quare fieri*
 „*non poteſt, vt is in plana via maneat, ver-*
 „*bum.*”

„humque Dei doceat pure, qui honori suo ve-
 „lificatur, nam probrum et ignominiam fugit,
 „ideo et Dei gloriam querere detrectat, atque
 „ita concionari necesse habet, ut hominibus
 „placeat sibi que laudi sit, et ars atque intelli-
 „gentia sua predicetur. Et paulo post:
 „Qui publicus diuinorum oraculorum prae-
 „esse cupit, is diligentissime sibi caueat ab ina-
 „ni gloria et auaritia, aut, si his vitiiis ad-
 „strictum se esse senserit, fugiat munus eccle-
 „siasticum: nihil enim boni efficiet, sed Deum
 „tantummodo dedecorabit, mentes decipiet,
 „opesque rapiet et furabitur. Hinc eius-
 „modi ministri alieni, Io. X, 5. mercenarii,
 com. 12. 13. fures, com. 10. latrones, com.
 8. falsi vates, Matth. VII, 15. falsi apostoli,
 2 Cor. XI, 13. mali ac fallaces operarii, com.
 13. Phil. III, 2. inimici crucis Christi, com.
 18. sal fatuus, Matth. V, 13. duces caeci, c.
 XV, 14. et aliis huiusmodi nominibus ap-
 pellantur. Sicut e contrario bonis et sin-
 ceris ministris multa praeclara nomina in
 verbo Dei tribuuntur. Ita vocantur nun-
 tii seu angeli Iehouae armipotentis, Malach.
 II, 7. pro Christo fungentes legatione, 2 Cor.
 V, 20. Christi ministri et mysteriorum Dei
 dispensatores, 1 Cor. IV, 1. pastores ouium,
 Io. X, 2. Dei adiutores, 1 Cor. III, 9. pisca-
 tores hominum, Luc. V, 10. vigiles, Ezech.
 III, 17. Hebr. XIII, 17. patres, 1 Cor. IV, 15.
 cetera.

§. V.

Quisnam *Finis* ministerii ecclesiastici ex diuina in-
 finis mini-stitutione esse debet apertio oculorum et
 sterii ec-ductio hominum ex tenebris in lucem et
 clesiastici? ex satanæ potestate ad Deum, Act. XXVI, 18.
 illuminatio cognitionis gloriæ Dei, quæ est
 in facie Iesu Christi, 2 Cor. IV, 6. instaura-
 tio fidei siue cognitionis salutis per remissio-
 nem peccatorum, Io. I, 7. Luc. I, 77. 1 Cor.
 III, 5. compactio sanctorum ad opus mini-
 sterii in ædificationem corporis Christi,
 Eph. IV, 12. perfectio vniuscuiusque ho-
 minis in Christo, Col. I, 28. comportatio
 multarum frugum in vitam æternam, Io.
 IV, 36. siue ipsorum doctorum et audito-
 rum salus, 1 Tim. IV, 16. Qui vero in
 muneris administratione suæ rei student,
 Phil. II, 21. ventrem pro Deo habent et ter-
 restria sapiunt, c. III, 19. aut se ipsos pa-
 scunt, Ezech. XXXIV, 2. seq. memoratum
 finem sibi vere propositum habere non pos-
 sunt, multo minus (quantum in ipsis est)
 ex omnibus partibus adsequi; siquidem ad
 hoc, præter preces, vere diuinum studium
 et sincerum fidei certamen, Col. II, 1. lux et
 sapientia Spiritus sancti, qui vero in eiusmodi
 hominibus non habitat, necessaria est. Sap.
 I, 4. 5. Io. XIV, 17. Matth. VI, 24.

§. VI.

Fidelitas a *Fidelitas*, a doctoribus et ministris eccle-
 doctori- siæ requisita, 1 Cor. IV, 2. Luc. XII, 42.
 præ-

De ministerio ecclesiastico. 315

præcipue consistit in officiis, quæ sunt: *bus & mi-*
 (1) Operam dare, vt vnâquamque com- *nistris ec-*
 missarum sibi *ouium*, non tantum quod ad *clesiæ re-*
 externum, sed etiam quod ad internum sta- *quilita-*
 tum animi, quantum fieri potest, *cognoscant*, *quanam*
 vt cum singulis, pro eo ac cuiusque res po- *in re con-*
 sistit?

stular, agere possint, Io. X, 3. 14. Ezech.
 XXXIV, 16. (2) Oves etiam *pascere*, non
 coacte, nec auare, sed libenti et prompto ani-
 mo, 1 Petr. V, 2. Io. XXI, 15. 16. quo tam
 pura (et publica et priuata) verbi Dei prædi-
 catio, 1 Tim. IV, 13. Act. XX, 27. 31. quam
 legitima sacramentorum et clauium cæle-
 stium administratio pertinet; in quibus
 omnium demonstratio spiritus et potentiae,
 1 Cor. II, 4. nec non iusta pœnitentium et
 impœnitentium, infirmiorum et firmiorum
 distinctio necessaria est, Ier. XV, 19. 1 Tim.
 IV, 13. 2 Tim. II, 15. IV, 2. Ezech.
 XXXIV, 16. Ies. III, 10. 1 Cor. III, 1. 2.
 Hebr. V, 12. Ioh. XVI, 12. vid. supra Part.
 II. Artic. XII. *de clauibus cælorum*. (3) In
 primis *officium* Spiritus sancti *elencticum*,
 sine reformatione hominum et persona-
 rum respectu, cum spiritu tamen amoris et
 mansuetudinis, cui emendatio sincere pro-
 posita sit, exercere. Ies. LVI, 10. LVIII, 1.
 2 Tim. II, 24. IV, 2. Ioh. XVI, 8. *LVTHE-*
RVS in Matth. V, 13. Tom. VII. Witteb.
 fol. 18. b. (Tom. V. Alt. fol. 380. b.) „*Iam*
 „*quemadmodum salendi ratio fieri debeat,*
 „*facile*

„facile potest intelligi, nimirum ut pro con-
 „cionibus prædicetur: Quidquid in terris na-
 „tum est et vivit, nihil valet, sed putridum
 „et perditum est coram Deo. Quum enim
 „dilucide et significanter dicat, quod sal ter-
 „rae sunt, hoc est, super omnia, quae in terris
 „sunt; necessario sequitur, ut omne, quid-
 „quid in mundo est, et carnis aut hominis
 „appellationem obtinet, reprehendendum et
 „saliendum sit, ita ut totius mundi sanctita-
 „tem, sapientiam, cultum Dei, a seipsis citra
 „verbi divini testimonium inuentum, reprobe-
 „mus. Quippe quæ diaboli sunt, et ad infe-
 „ros demergenda, si non in solam Christum
 „spes et fiducia ponitur. Hæc tandem ina-
 „mabilis et auditu iniucunda doctrina est,
 „mundo nos inuisos faciens, ut plagis et adsti-
 „ctionibus passim petamur, et omnium insi-
 „diis exponamur. Nam hoc mundus facile
 „ferret, quod de Christo et articulis fidei re-
 „cte doceretur. Illud autem nullo modo fer-
 „re potest, si ipse impetatur et salietur, ipsius
 „scilicet sanctitatem et sapientiam nullius esse
 „momenti, et ne flocci quidem faciendam, im-
 „mo cæcam et damnatam esse. Hinc vitio
 „dant prædicatoribus, nihil peræque scire,
 „quam vituperare et mordere, et turbas in
 „mundo ciere et motus concitare, et in sta-
 „tus ecclesiasticos ac bona opera petulanter
 „invehiri. Quid vero nos faciemus? si salien-
 „dum est, necesse est, ut mordeat. Et quam-
 „vis

De ministerio ecclesiastico. 317

„vis mordacitatis nos accusent, scimus tamen,
 „ita fieri oportere, et Christum ista præcepif-
 „se, qui salem vult acrem esse, et vehementi
 „acrimonia mordacem, quemadmodum audie-
 „mus. Quemadmodum ipsum Paulum facti-
 „tare videmus, totum mundum reprehenden-
 „tem et obiurgantem vitam pariter ac opera
 „hominum, Christo adeo soli per fidem non ad-
 „herentium. Quid? quod Christus Ioannis
 „XVI. inquit: Quum venerit paracletus, ar-
 „guet mundum de peccato cet. Hoc est,
 „omnia, quæcumque in mundo inueniet, argu-
 „endo inuasurus est, nemine excepto aut respe-
 „cto, neque partim reprehensurus est, partim
 „laudaturus, aut fures tantum et latrones vi-
 „tuperaturus, sed omnes simul coniunctos in
 „reprehensionem rapturus, maiores, minores,
 „probos, sapientes, sanctos, aut qualescum-
 „que tandem fuerint. Et in summa, quid-
 „quid non Christus fuerit. Neque enim ideo
 „necesse est, Spiritum sanctum venire, aut in
 „terras prædicatores mittere, ut externa et
 „crassa peccata reprehendat et iudicet, cuius-
 „modi sunt furta, adulteria, homicidia, atque
 „id genus alia, quæ mundus ipse probe nouit
 „et supplicio adscit, sed quod ipsius iudicio
 „pretiosissimum videtur, et quo optimus, pro-
 „bissimus et sanctissimus esse contendit, et Deo
 „potissimum seruire. Ibidem fol. 19. a. fol.
 831. b. „Ex his omnibus iam clare perspi-
 „cis, quantum momenti in hoc articulo situm
 „sit,

„sit,

„sit, quem Christus non temere præ omnibus
 „aliis hic ponit, et tantopere exercendum com-
 „mendat. Absque hoc christiana respublica
 „stare non potest, neque Christus consistere,
 „nulla recta intelligentia nec vita exerceri.
 „Vnde constat, maius damnum aut pernicio-
 „sorem interitum christiana communioni in-
 „ferri non posse, quam ubi sal, quo omnia
 „condienda et salienda sunt, infatuatus fuerit,
 „quod tamen cito fit. Nam eiusmodi vene-
 „num est, quod sua dulcedine dicto citius irre-
 „pit, et veterem Adamum non mediocriter
 „titillat ac delectat. Nihil enim opus est
 „periclitari, inque vitæ discrimine versari, ne-
 „que persecutiones, probra et conuicia pati
 „et deuorare. Quare nostri episcopicum tota
 „religiosorum cohorte hac in re omnium mor-
 „taliū sunt prudentissimi, quum ita prædi-
 „cent, ut interim citra vitæ periculum ac bo-
 „norum et gloriæ iacturam et dignitatis ac
 „potentiæ amissionem manere queant. Nam
 „qui vniuersum mundum, item Cæsares, re-
 „ges, principes, et sapientia ac doctrina præ-
 „cellentes homines corripere et dicere non for-
 „midat, illorum vitam coram Deo esse damna-
 „tam, ille haud dubie de capite in dubium ve-
 „niet. Ceterum si assentationibus illos per-
 „mulcere studuero, suens quoque illorum vi-
 „tam et docendi rationem rectam esse, tum fa-
 „cile indemnis vitam transigo, honorem et fa-
 „vorem retinens, interea loci egregias cogita-
 „tiones

„tiones apud animum meum comminiscor et
 „confingo, nihilosecius euangelium me prædi-
 „icare velle, sed nihil sum aliud, quam sal in-
 „satuatus. Quippe qui homines in propria
 „et veteri opinione et carnali sensu herere
 „sino, atque ita me præeunte ad diabolum po-
 „netraunt. - - Quamobrem aduersus horum
 „opinionem armatos nos esse oportet et instru-
 „ctos et solum Christi mandatum intueri, tale
 „officium nobis imponentis, et ut os interrite
 „et libere aperiamus imperantis, et quidquid
 „reprehensioni obnoxium est, reprehendamus,
 „nulla habita ratione aut periculorum, aut
 „dispendii, aut utilitatis, aut compendii, con-
 „stenta quoque aliorum hominum improbitate
 „et despicientia, hoc freti, quod ille suum sa-
 „lem nos fecerit, quo in officio nos quoque
 „tuendos suscepit, iubens nos strenue salire, ne-
 „que curare, aut terri sinere, mundo id fer-
 „re nolente, et nos propterea persequente, ne-
 „que desperare, etsi iudicio nostro non nisi
 „laterem lauare videamur. Quidquid enim
 „nobis faciendum imperat, hoc nobis placere
 „debet et sufficere, et illi cetera committere,
 „quæ et quanta per nos sit effecturus. Si ho-
 „mines audire et arripere recusant, nos nihi-
 „losecius sal sumus, et nostro officio persunctori.
 „Atque ita demum cum omni fiducia et hono-
 „re coram iudicio Dei stare possumus, et re-
 „spondere, nos omnibus fideliter dixisse, nec
 „quidquam perfide dissimulasse, adeo ut excu-
 „sati.

„sati.

„sationi locus non sit, quasi melius nesciuis-
 „sent, et nemo ipsis dixisset. Ceterum qui
 „periculorum metu se absterrendos præbent,
 „et emerendi fauoris aut dignitatis et opum
 „consequendarum gratia tacent, illi quoque in
 „summo die iudicii de se audient dicentes: Hic
 „prædicator noster fuit, neque tamen nobis dixit.
 „Neque excusabit volentes dicere: Domine,
 „audire noluerunt. Christus enim vicissim
 „dicturus est: Ignorabas vero, me tibi præce-
 „pisse, ut salires, ad quod te quoque diligen-
 „ter hortatus sum? Nonne maiori metu ver-
 „bum, quam ipsos reuereri præstabat? His
 „verbis equidem iure terrendi eramus, nam hic
 „iudicium audis, quod super eiusmodi insatua-
 „tum salem pronuntiat, inquiens: Ad nihil
 „valet, quam ut proiciatur foras, et concul-
 „cetur ab hominibus., (4) Illis etiam in
 verbis, moribus, caritate, spiritu, fide, casti-
 tate et reliquis diuinæ vitæ partibus omni-
 bus exemplo esse, 1 Tim. IV, 12. 2 Tim. III,
 10. Tit. II, 7. 8. 1 Petr. V, 3. Phil. III, 17.
 (5) Domos suas bene administrare, atque
 ita suos ad bonum exemplum, toti cœui
 præbendum, instituere atque erudire, 1 Tim.
 III, 4. 5. Tit. I, 6. **LVTHERVS** in Psalm.
 Cl. Tom. VI. Akt. fol. 191. a. „S. Paulus
 „episcopis, hoc est, parochis et verbi diuini mi-
 „nistis, diligentissime præcipit, ut domos suas
 „bene administrent, castas et pudicas uxores,
 „bonos et dicto audientes liberos habeant, ne
 Christi

„Christianos re sua familiari potius deteriores,
 „quam concionibus meliores faciant; et hunc
 „in modum vehementer perorat: Quodsi quis
 „suam ipsius domum administrare nescit, quo
 „pacto Dei ecclesiam procurabit? Neque res
 „aliter esse potest. Qui serio id agit, ut eccle-
 „siae fideliter praesit et peccata reprehendat, is
 „certe uxori, liberis, familiae suae licentiam
 „flagitiose et petulanter viuendi permittere
 „non potest. Quodsi autem suos ad suum ipso-
 „rum arbitrium libidinemque agere sinit,
 „non magnam sane ecclesiae aliorumque habe-
 „bit rationem. Itaque non amplius parochus
 „seu minister ecclesiae est, sed lupus et sodalis
 „diaboli, ut qui diabolo permittit, et domi suae
 „et in ecclesia agere id, quod libet., (6)
 Gliscentibus in doctrina et vita scandalis pro
 virili parte et debito ordine obuiam ire; ad-
 eoque de auertendo omni animarum peri-
 culo, quam diligentissime possunt, laborare,
 Tit. I, 9. 2 Tim. II, 24. 1 Cor. V, 3. (7)
 Pro vniuersa ecclesia Christi, et speciatim
 pro commisso sibi coetu, sedulo orare, sub-
 misse secum reputantes, omnem sationem
 et irrigationem esse inanem et irritam, nisi
 Deus det vim crescendi, 1 Sam. XII, 23.
 Psalm. CXXVII, 1. 1 Cor. III, 7. vid. Episto-
 lae Apostolorum. LUTHERVS Comm. in
 Gen. XXVIII. Tom. VI. Witteb. fol. 421. a.
 (Tom. IX. Alt. fol. 859. b.) „Vtrumque est
 „faciendum, docendum et orandum est. Quia
 „haec

„hæc sunt duo officia sacerdotalia: Audire lo-
 „quentem Deum, et loqui cum Deo audiente
 „nos, descendere et ascendere. Per benedi-
 „ctionem, per concionem, et per administru-
 „tionem sacramentorum descendit Deus, et lo-
 „quitur mecum. Ibi audio ego. Et rursus
 „ascendo, et loquor in aures Dei audientis
 „orationem meam., IDEM in Psalm. II.
 Tom. II. Ien. lat. fol. 90. b. (Tom. II. Alt.
 f. 660. b.) „Sit ob hoc timidus et humilis,
 „quicumque populo Christi in verbo præest, et
 „magis orationis puritate quam industrie vir-
 „tute studeat liberum verbum et solum simplici-
 „ter tradere, commendans Deo tam suam lin-
 „guam, quam auditorum animas. Statutum est
 „enim, in ecclesia Dei non esse magistrum, nisi
 „illum, qui dicit: Unus est magister vester Chri-
 „stus. Et Psalm. LX. Deus loquutus est in sancto
 „suo, id est, in sanctuario suo, quod est ecclesia.,
 Denique (8) omnes calamitates, quæ pro-
 pter fidam muneris sui administrationem
 ipsis usu veniunt, alacriter et patienter fer-
 re, immo nec vitam suam magnificere, sed
 pro ouibus ponere, si spirituale earum bo-
 num et diuina gloria sic postulet, Gal. VI,
 14. Io. X, 12. Act. XX, 24. 2 Tim. I, 8. II,
 10. Col. I, 24. collat. Ezech. XIII, 5.

§. VII.

Quod-
 nam com-
 mune
 omnium

Commune autem omnium Christianorum
 officium est, (1) Deo optimo maximo cum
 pro institutione ministerii ecclesiastici in ge-
 nere,

nere, tum pro vniuscuiusque fidei operarii Christiana-
 missione, donis et habilitate in specie, gra-
 tias agere, ipsumque, vt messis Dominum, officium
 suppliciter orare, vt et malos fallacesque secundum
 operarios imminuere, et fidos sincere hanc do-
 ctrinam?
 augere velit; Matth. IX, 36-38. (2) tum
 ipsos doctores, an ex Deo sint, tum doctri-
 nam eorum, an cum verbo Dei concordet,
 nec ne, per spiritum sapientiae explorare,
 adeoque ad fidelium et infidelium pasto-
 rum, veritatis et erroris characteres diligen-
 ter animum attendere; Ies. LVI, 10. 11.
 Ezech. XXXIV, 2-4. Matth. VII, 15. seq.
 XXIII, 3-35. 1 Io. IV, 1-6. Act. XVII, 11.
 (3) infidis ac fallacibus, siue de via recta se-
 ducentibus doctoribus se non committere,
 sed eos fugere, nec eorum utpote alieno-
 rum vocem audire; Matth. VII, 13-15. XV,
 14. XXIII, 3. Io. X, 5. 1 Io. IV, 5. 6. (4) con-
 tra ea fidos ac sincere doctores, tamquam
 pro Christo fungentes legatione, ministros-
 que eius, et diuinorum arcanorum dispensa-
 tores recognoscere, et hinc verbum eorum,
 vt Dei verbum admittere, sanæque doctri-
 nae rationi de fide ac caritate ex animo pa-
 rere; 1 Cor. IV, 1. 2 Cor. V, 20. 1 Thess. II,
 13. Iac. I, 21. Rom. VI, 17. (5) neque ve-
 ro in his ipsis Christum diuidere, sed in eo-
 rum quolibet ipsum et Spiritus sui dotes ho-
 norare, easque in veram sui emendationem
 conuertere; 1 Cor. I, 12. 13. III, 4-8. IV,

6. 7. (6) bonum eorum exemplum imitari, atque ita operam dare, vt omnis boni communitatem cum illis habeant; Phil. III, 17. Io. X, 4. Gal. VI, 6. (7) necessaria vi-
 ræ subsidia subministrare, Matth. X, 10. Luc. X, 7. 1 Cor. IX, 4-14. 1 Tim. V, 17. 18. (quod, vti in se auditorum officium manet, ita a nemine ad excusandum et fo-
 vendum animum, terrestria sapientem, adhibendum est, 2 Cor. XI, 20. Phil. II, 21. Ies. LVI, 11.) (8) sedulo spiritualis sacerdotii exercitio, hoc est, priuata aliorum ædificatione, graue munus suum eis leuare, vid. §. III. et tandem (9) pro eis eorumque ministerio assiduas et ardentis preces facere, Rom. XV, 30. Hebr. XIII, 18. Eph. VI, 19. Actor. IV, 24. seq.

§. VIII.

Solacium piorum Christianorum in genere est, (1) quod Deus, quum per ministerium Spiritus reconciliationem omnemque salutem offerat, in institutione eius, et in vnus cuiusque fidei serui missione ardentem amorem suum et immensum salutis et beatitudinis hominum desiderium declarat; 2 Cor. V, 18-20. Matth. XXIII, 34. 37. (2) quod beneficio acceptæ vñctionis vocem verorum ac falsorum pastorum discernere et spiritum veritatis atque erroris explorare valeant; Io. X, 4. 5. 1 Io. II, 20-27. (3) quod omnia dona, quibus seruos suos ornat Deus,
 iuxta

Quod-
 nam sola-
 tium pi-
 orum
 Christia-
 norum in
 genere?

iuxta ac consolatio, qua eorum animos in omnibus afflictionibus replet, ad communem usum faciant, adeoque ad spirituale ipsorum et æternum emolumentum eis conferantur, 1 Cor. III, 21. 22. 2 Cor. I, 3. 4. IV, 6. 15. (4) quod de eorum etiam interpellatione certi esse, et hinc singularem fructum a Deo expectare possint; vid. supra §. VI. (5) quod, quæ ministri ecclesiæ ex diuino præscripto faciunt, auctoritatem et vim habeant diuinam, nec a Deo aliter, atque a se ipso facta, habeantur; Matth. X, 20. Io. XX, 23. (6) quod Deus ecclesiam suam a fallacibus operariis aliquando liberare, Zach. XIII, 2. 6. Apoc. XIX, 20. bonos ei pastores ad finem usque dare, Matth. XXVIII, 20. eorumque numerum augere velit; c. XXIV, 14. (7) quod in nouissimo die doctorum suorum corona futuri, cum illisque ut reges et sacerdotes coram Deo vna victuri, et ab Agno, qui inter solium, et simul vnicus ille bonus et magnus pastor est, coniunctim ut oues ipsius pascendi sint. Apoc. VII, 17.

§. IX.

Solacium fidelium doctorum et ministro- Quod-
rum ecclesiæ in specie est, (1) quod eo mun- nam fide-
nere fungantur, quo ipse Filius Dei, Chri- lium do-
stus Iesus, in terra functus est, Io. XX, 21. ctorum et
cuius per dignam procurationem homines ministro-
ad sempiternam salutem possunt perducere; rum ec-
clesiæ so-

(2) quod Deus ab ipsis nihil requirat, nisi ut pro tributa sibi misericordia fideles compariantur; 1 Cor. IV, 2. VII, 25. Luc. XII, 42. collat. Ezech. III, 17-21. (3) quod Christus per Spiritum suum in ipsis et per ipsos potenter agere laboremque eorum non infructuosum esse velit; Matth. XXVIII, 20. Marc. XVI, 20. (4) quod hic ipse eos amet, honoret, defendat, et in omnibus adfectionibus, quantum satis est, confirmet ac consoletur; Apoc. I, 16. II, 1. 2 Cor. I, 3. (5) quod munus suum recte administrantes præclarum sibi gradum faciant, magnamque in fide, in Christo Iesu collocanda libertatem acquirant; 1 Tim. III, 13. (6) quod ipsis munere suo fideliter perfungentibus nihil aduersi et incommodi euenire possit, quod Christo eiusque fidis seruis et testibus omnibus non ante euenierit; Io. XV, 20. Matth. V, 12. (7) quod illi, quos ministerio suo ad Christum perduxerint, iam in hac vita spes eorum et lætitia sint, et in eius aduentu honor eorum et corona gloriationis futuri sint; 1 Thess. II, 19. Phil. IV, 1. (8) quod cursum muneris sui emensi in Domini sui voluptatem ingressuri, Matth. XXV, 21. et de pastorum magistri numquam flaccescentem gloriæ coronam accepturi, 1 Petr. V, 4. quid? quod ut fulgor æthereus fulsuri, et stellarum similes in omnem æternitatem futuri sint. Dan. XII, 3.

ARTI-

ARTICVLVS VICESIMVS SECVNDVS.

DE

MAGISTRATV POLITICO.

§. I.

Secundus status hierarchicus Christiano-
rum est *magistratus politicus*: de quo status hie-
in hoc articulo maxime necessaria propo-
rarchicus
Christia-
norum
quis?
nenda sunt.

§. II.

Magistratus politicus, si originem eius Magistra-
spectes, non mere humanum inuentum, sed tus politi-
sanctus et *diuinus* ordo est, quandoquidem cus unde
Deus alios imperare, alios parere et obedi-
re vult, Rom. XIII, 1. Sirac. XVII, 14. Vnde
qui in isto ordine viuunt, spectandi sunt
ramquam diuinitus in eo constituti, siue po-
restatem et dignitatem magistratus imme-
diate a Deo habeant, vti Moses, Exod. III,
10. Iosua, Num. XXVII, 18. Deut. III, 28.
Saul, 1 Sam. IX, 15. seq. Dauid, 1 Sam. XVI, 12.
aliique plures; siue eam more consueto,
vel hereditate, vel suffragiis, vel, Deo id per-
mittente, ferro et armis adepti sint, Dan. II,
20. 21. Ier. XXVII, 5. 6. Ab ipso etiam
Deo proficisci oportet, vt quis ad magistra-
tum digne gerendum idoneus sit, Prou. VIII,
14-16. Sirac. X, 4. 5. sicut idem ille est,
per quem et cuius in nomine potestas omnis

X 4

geren-

gerenda et exercenda est, 2 Par. XIX, 6. Vnde magistratus Θεῶν δαίμονες, Dei minister, Rom. XIII, 4. et principes, ὑπηρέται τοῦ αὐτοῦ βασιλείας, ministri regni eius, Sap. VI, 5. immo etiam אלהי, dii, Exod. XXII, 28. Psalm. LXXXII, 1. 6. Io. X, 34. 35. 1 Cor. VIII, 5. vocantur. Iraque qui potestati repugnat, Dei institutioni resistit. Rom. XIII, 2.

§. III.

Anne hic ordo in N. T. sublatu est? In nouo testamento hic ordo tantum abest vt per euangelium sublatu fuerit, vt potius stabilitu et confirmatu sit, vti videmus Rom. XIII, 1. 2. Tit. III, 1. sqq. 1 Petr. II, 13. Quamquam enim per redemptionem Christi omnes vere credentes in libertatem vindicati, Io. VIII, 36. et omnes in Christo Iesu idem sunt, Gal. III, 28. hoc tamen ad spiritalia tantum, siue ad interiorem hominem et conscientiam, nequaquam vero ad res externas attinet, quemadmodum inter alia ex adducto cap. Io. VIII. et 1 Tim. VI, 1. 2. liquet. Vnde Christus Matth. XXII, 21. eiusque apostoli, in citatis et aliis scripturæ locis pluribus, officium magistratui, quantumvis tunc temporis ethnico, debitum non solum diligentissime inculcarunt, Rom. XIII, 1. 2. sed bono etiam obedientiæ et submissionis exemplo eis ipsi præluxerunt, Matth. XVII, 25-27. Io. XIX, 11. Act. XXV, 10. nec non christianos dominos et heros de legi-

legitimo Deoque placente potestatis suæ vfu
erudiuerunt. Eph. VI, 9.

§. IV.

Ad digne fungendum magistratu siue *Quinam*
laudabiliter et cum fructu reipublicæ impe- ad digne
randum, haud sunt idonei, nisi *viri strenui*, fungen-
Dei amantes, veraces, auaritiæ inimici, iusti, dum mu-
tia studiosi, ac spiritu veritatis et intelligentia nere ma-
diuinitus præditi; quemadmodum ipse Deus gistratus
excellentes istas proprietates ab imperanti- idonei?
bus (summis, imis) in verbo suo requirit,
Exod. XVIII, 21. 2 Par. XIX, 7. Sap. I, 1.
IX, 1. sqq. *LVTHERVS* Comm. in Exod.
XVIII. Tom. III. Alt. fol. 654. a. „Pri-
„mum quidem Deum iubentur timere: Nisi
„enim imperantes, prælati, principes et domi-
„ni, consules et iudices Deum timeant, mune-
„re suo minus recte fungentur. Non cogita-
„bunt apud animum, si quem iniuria adsece-
„rint, hac re se Deum ad iram prouocatu-
„ros. Item fol. 655. a. „Talis res est rerum
„publicarum rectio, ut nullum regnum bo-
„num rectumque sit, nisi in timore Dei admi-
„nistretur. Si quis deprehenditur hac dote
„præditus, is bene imperat, et diuinum munus
„est, perinde atque oris pulchritudo diuinum
„munus est. -- In vero numerum omnium prin-
„cipum et imperantium, qui Deum magis quam
„homines timent, quot, quæso, putas esse te
„colleclurum? Ego certe omnium istorum no-
„mina in unico digito inscriberem, similiter at-

„que non nemo, se omnium bonorum princi-
 „pum nomina in unum eundemque amulum
 „signatorum velle incidere, professus est. -
 „David talis fuit, et pauci aliquot pii reges in
 „regno Israelitico. David enim timuit Deum,
 „nec fuit, qui sit cum eo comparandus, nec
 „futurus est in terra. Ipse est excellentia et
 „gloria omnium principum. Nihil tamen se-
 „citus in aula eius fuerunt homines ei inimi-
 „cissimi, et inter hos ipse Absolom filius, eum-
 „que regno suo expulerunt, ut adeo Davidis
 „solum perpetua quasi successione tremuerit.
 „Qui enim multis imperare capit, is omnium
 „odium incurrere, variisque periculis sese ex-
 „ponere necesse habet. Qui hoc ferre non
 „potest, fugiat oportet rerumpublicarum ad-
 „ministrationem. - Secunda (imperantis) vir-
 „tus est, veracem esse, et amare veritatem.
 „Hic enim fructus est timoris Dei. Quisquis
 „Deum timet, in eoque confidit et gloriatur,
 „qui est in celo, is etiam veritatis amans est,
 „et libenti ac prompto animo facit, quod iustum
 „est, illudque fideliter exsequitur. Alioquin
 „multi doli, fallacie et fraudes sunt in mundo,
 „ut illudantur homines, et ius torquatur instar
 „nassi cerei; et opinione citius bonum in ma-
 „lum conuertitur, et quod iniustum est, in ius
 „mutatur. - Tertia virtus est, avaritie esse
 „inimicum. Prima virtus ad Deum spectat,
 „posteriores due virtutes magis ad homines
 „sefe demittunt. Item fol. 656. a. „Magna
 „alio-

„aliquin imperantibus suppetit occasio contra
 „ius fasque agendi; in primis si quis avarus
 „est, nec Deum curat, quamquam et alie
 „causæ sunt iniuriam alteri faciendi, scilicet
 „iracundia, invidia et odium. Si quis impe-
 „ranti fuit paullo molestior, vel ipsum offendit,
 „tum hic facile se ipsum ulciscitur. Quocirca
 „he præcipuæ causæ sunt, quamobrem magi-
 „stratus ius peruertant, nec agant ex æquo et
 „iure, (quando videlicet Deum non timent, ve-
 „ritatis non sunt studiosi, pecuniam et munera
 „accipiunt.) Enim vero si ex æquo et bono
 „iure res iudicandæ sunt, requiruntur viri,
 „qui nullam habeant honoris, potentiæ, opum
 „ac pecuniæ rationem., Quando autem illi,
 „qui magistratum gerunt, non sunt ita com-
 „parati, diuinum iudicium in regionem ali-
 „quam, ciuitatem aut pagum hac in re agno-
 „scendum est, Ies. III, 4. Eccles. X, 16. ta-
 „meti istis etiam obedientia a subiectis in
 „omnibus rebus, quæ conscientie non repu-
 „pugnant, deberur. Vid. §. III. et I Petr. II, 18.
 LUTHERVS de Excommunicat. Tom. I.
 Alt. fol. 478. b. „Malos ciues Deus punit,
 „malos illis dando principes, quemadmodum
 „Ies. III, 2. 3. 4. dicitur: Ablaturus sum mi-
 „lites et bellatores, iudices et vates, diuinos
 „et senatores, semicenturiones, et auctoritate
 „præditos, et consiliarios, et artibus eruditos,
 „et dicendi peritos, eisque pueros abbo prin-
 „cipēs et eos infantium imperio subiiciam.
 „Quum

„Quum igitur diuina pœna sit, ineptos et malos habere principes, et inter nos tam multi reperiantur, qui istam pœnam commerentur, minime mirum nobis debet videri, si magistratus nobis vim inferat, quid? quod mirari Deoque gratias agere debemus, si vim et iniuriam nobis non inferat.“ It. de Christiana Nobilitate nationis Germanicæ ibid. fol. 479. a. „Mundus tam insigniter improbus est, ut non solum non dignus sit bonis et piis dominis, sed etiam principes habere cogatur, qui bella gerant, tributa imperent, et sanguinem fundant, spirituales etiam tyrannos, qui per schedulas excommunicatorias, epistolas et leges homines depeculentur, et spolient. Hæc et plures aliæ pœnæ merces sunt ac præmium impietatis, quibus resistere non aliter est, atque diuinæ animaduersioni resistere. Quam demisse autem me gero, si morbum mihi immittat Deus, tam demisse etiam me gerere debeo erga malum magistratum, quem idem Deus cervici meæ imponit.“

§. V.

Potestas
magistratus in
quonam
consistit?

Potestas magistratus in eo proprie consistit, quod qui eam habent, subditos Dei loco regere, ab eis obedientiam exposcere, ad eamque præstandam compellere illos debent. Atque autem potissimum ad res externas, civiles et temporarias, non vero ad hominem internum siue conscientiam, se-

cun-

cundum quam præter Deum nemini obedientia debetur. *LVTHERVS* Postill. Eccles. Domin. XXIII. post Trinit. (Tom. XIV. Lips. fol. 387. a. fin.) „*Animum Deus sibi postulat, corpus et facultates ad magistratum pertinent, quibus Dei loco imperat.*” Verumtamen magistratus christianus in rebus etiam ecclesiasticis potestatem habet eo adhibendam, ut omnia ad verbi diuini præscriptum et ciuium ædificationem ac salutem æternam instituuntur. Quam curam ei ipse Deus in verbo suo diligenter seuerèque mandauit, Deut. XVII, 18. 19. Ios. I, 7. 8.

§. VI.

Finis muneris magistratus est diuina gloria et subiectorum externa et spiritalis salus, 1 Tim. II, 2. quem vero finem non alii magistratus sibi vere proponunt, nec adsequuntur, quis? quam qui ita comparati sunt, ut §. IV. ostendimus. *LVTHERVS* de Magistratu Polit. Tom. II. Alt. fol. 271. a. „*Non sic ratiocinetur princeps: Terra, et homines mei sunt, agam, ut mihi lubet; sed ita: Ego sum terra et hominum, agere proinde debeo, quod ipsis bonum et salutare est; non licet mihi id curare, ut insolenter me efferam, et in capite fortunisque ciuium dominem, sed ut illi in bona pace conseruentur et defendantur. Christumque sibi ob oculos proponere debet, ac dicere: En, Christus, princeps optimus maximus, venit mihi que seruiuit, non*”

„id egit, ut potentiam, opes ac gloriam in me
 „haberet, sed solam necessitatem meam specta-
 „uit, et omnia eo contulit, ut ego potentiam,
 „opes ac gloriam in se et per se haberem.
 „Idem et ego faciam, non mea in subditis qua-
 „ram, sed sua, eisque in munere meo infer-
 „viam, eos tuebor, audiam, defendam, et hanc
 „solam ob causam regam ac gubernabo, ut ipsi
 „inde opes atque commoda habeant, non ego.
 „Ut adeo princeps in animo suo de potestate
 „atque dominio cedat, et rebus subiectorum
 „consulat, in illisque agat non secus, ac si res
 „essent suae ipsius. Ita enim Christus nobis
 „fecit, et haec proprie christiana caritatis ope-
 „ra sunt. *Dixeris: Quis igitur princeps esse*
 „cupiat? Hoc pacto principum conditio omni-
 „um longe miserrima foret, et molestiae, labo-
 „ris ac tedium plenissima. Vbinam locum essent
 „habiturae oblectationes, quas ex saltatione,
 „venatione, ludis equestribus, comediis, aliis-
 „que exercitationibus ludicris captant princi-
 „pes? Respondeo: Non id iam praecipio, quo-
 „modo princeps aliquis secularis vivere, sed
 „quomodo Christianus esse debeat, ut et ipse
 „in caelum aliquando ingrediatur. *Quis est,*
 „qui nesciat, principem in caelo videre, esse
 „quasi avem albam videre? Neque hoc eo pro-
 „fero, quod sperem, principes saeculares id
 „esse animis mentibusque suis mandatu-
 „ros, sed si quis forte sit, qui Christianus esse velit, ut
 „nosciam, quam iure rationem debeat. Id enim
 „mili

„mihi persuasissimum est, verbum Dei se non
 „adcommodaturum ad nutum et arbitrium
 „principum, sed principes se totos fingere et
 „adcommodare oportere ad praescriptum verbi
 „Dei. Satis habeo indicare, quod principem
 „esse Christianum, non sit ex iis, quae fieri
 „non possunt, quamvis id raro et difficulter
 „evenire soleat.”

§. VII.

Christianum igitur officium eorum Quod-
 omnium, qui magistratum gerunt, maxime nam offi-
 summorum imperantium, est: (1) Finem cium ma-
 muneris sui diligenter et constanter ante gistratus?
 oculos suos sibi proponere, adeoque omnem
 potestatem non ad animi elationem alia-
 que lucra et commoda carnis, sed sub-
 misse ac pure ad gloriam Dei et veram sub-
 iectorum salutem referre. Sirac. III, 19, 20.
 Gen. L, 19. 2 Sam. VI, 22. Vid. §. VI.
 LUTHERVS Comment. in Genes. Tom. VI.
 Witteb. fol. 615. b. (Tom. IX. Alt. fol. 1274.
 a.) „Sic in hoc vitae genere degendum est,
 „ut cogites de Dei timore, et humilieris co-
 „ram eo, ac memineris, te esse filium Ade,
 „peccati, mortis, damnationis, eque atque alii
 „sunt, sicut docet Moses in suo Psalmo: Ita
 „tamen, ut servias Deo, vocanti te ad guber-
 „nationem, qua conservetur pax in civitatibus
 „et provinciis, coerceantur et puniantur fu-
 „res, latrones, homicidae, item bella gerantur
 „adversus hostes, qui turbant politicam pacem

„et tranquillitatem, atque hæc omnia fiant
 „cum modestia et inuocatione humili: Domine
 „Deus, ego sum filius bubulci et filius peccati,
 „sed quia tu vis regi mundum, conseruari pa-
 „cem, corrigi inordinatos, et ad illam admi-
 „nistrationem me vocas, libenter parebo: Ma-
 „lim equidem latere priuatus, sed quia tuæ
 „voluntati et mandato obsequendum est, fa-
 „ciam officium in timore et humilitate. Da
 „bleibt die Demuth unter der schönen güldnen
 „Ketten, Cron, Ringen cet. Non enim mihi
 „sum princeps, sed voluntati Dei et necessitati
 „hominum.„ (2) Eam ob causam Deum
 numquam non formidare, 2 Par. XIX, 7. et
 futuri iudicii meminisse, vbi Supremus, a
 quo omnis potestas eis data est, facta eorum
 excutiet et examinabit consilia. Sap. VI, 4.
 (3) Nationes, quæ in eorum ditione sunt,
 non ad arbitrium suum, vel secundum me-
 re naturalia statuta, sed secundum diuina
 oracula gubernare, eaque in omnibus rebus
 suscipiendis et gerendis pro consiliariis ha-
 bere; Deut. XVII, 18. 19. Ios. I, 7. 8. Pf.
 CXIX, 24. (4) In vera spiritus paupertate
 agnoscere, se ad fidam et fructuosam tam
 ardui muneris sui procurationem naturali-
 ter plane ineptos esse, adeoque ad Salomo-
 nis exemplum a Deo optimo maximo, qui
 solus sapiens est, Spiritum sapientiæ et in-
 telligentia, consilii et fortitudinis submis-
 se et ardentem petere; 1 Reg. III, 7-9. Sap. IX,
 1. seq.

1. seq. Iac. I, 5. 17. (5) Pro iis, quibus præfunt, indefessas ad Deum preces fundere, iisque in corporalibus et spiritualibus prospera quæque diuinitus orare; 1 Reg. VIII, 30. sq. 1 Par. XXX, 18. (6) Intra cancellos, quibus eorum potestas ab ipso Deo circumscripta est, se continere, adeoque haud alium maioremque honorem et obedientiam ab iis, qui ipso-
rum imperio parent, postulare, quam saluo amore Dei et proximi præstare possunt; Matth. XXII, 21. Vid. contrarium 1 Sam. XXII, 17. Dan. II. III. VI. Apoc. XIII, 4. 8. (7) Non imponere illis onera et tributa minus necessaria, sed iis, quæ ad salutis publicæ defensionem, diuinitus eis demandatam, requiruntur, contentos esse; Exod. V. Mich. III, 1. 5. (8) In publicis flagitiis et offendiculis ob temporale aliquod emolumentum non conuiuere, sed vi potestatis, qua pollent, id agere, ut ea seuerè et fortiter reprimantur; Rom. XIII, 3. 4. (9) Iustitiam sine personarum discrimine diligenter administrare, atque ita omnes, in primis timentes Deum, aduersus vim et iniuriam malorum defendere, et hos punire; Exod. XXIII, 6. Leuit. XIX, 15. Deut. I, 17. Ps. LXXXII, 2. 3. 4. Prou. XXIV, 23. 24. Iob. XXIX, 14. 17. Ies. I, 17. Ier. XXII, 3. Zach. VII, 9. Sap. I, 1. (10) Non solum ecclesiis et scholis, quantum modo et ordine sibi competente possunt, fideles operarios præficere, sed munera etiam sæcularia

Y haud

haud aliis, quam quorum de fide et iustitia persuasum habent, deferre; Psalm. CI, 3. 6. (11) Regionibus, imperio ipsorum subiectis, contentos esse, nec eas augendi earumque fines extendendi causa exitiosa bella suscipere; Exod. XX, 17. Ies. XXXIII, 1. (12) Pauperum in terris suis sollicitam curam gerere, eorumque inopiae et miseriae, tamquam fideles patriae patres, quocumque modo possunt, succurrere. Vid. Gen. XLI, 36.

§. VIII.

Quod-
nam offi-
cium eo-
rum, qui
in potesta-
te sunt al-
terius?

Officium eorum, qui in ditione ac potestate sunt alterius, est: (1) Deo optimo maximo pro tutamento magistratus, generatim quidem ignoto, per se autem insigni et maxime necessario beneficio, submissas gratias agere; Num. XXVII, 15-17. Iudic. XVII, 6. Prou. XI, 14. (2) Externa pace, quam sub magistratu christiano tutam tranquillamque trahunt, non ad carnalem securitatem et omnis generis flagitia abuti, sed ea in timore Dei, ad priscorum Christianorum exemplum, frui; 1 Tim. II, 2. Act. IX, 31. (3) Magistratum et vniuersum eius regimen ardentibus precibus Deo fortunandum commendare; 1 Tim. II, 1. 2. Ier. XXIX, 7. (4) Imaginem Dei in magistratu venerari, eiusque causa in animo eum reuereri, et reuerentiam istam externe etiam quouis modo, homines quidem christianos decenti, declarare; Rom. XIII, 7. 1 Petr. II, 17. (5) Non ob solam pec-
nam,

nam, sed etiam propter conscientiam, illi obedire; ita tamen, ut obedientia, Deo supremo debita, salua sit. Rom. XIII, 5. Tob. II, 9. Act. IV, 19. V, 29. Dan. III, 13. 16. VI, 8-10. 1 Sam. XXII, 17. (6) Libenti animo, sine murmuratione et iniusta fraudatione, tributum et vectigal ad curandam et tuendam publicam salutem pendere; Rom. XIII, 6. 7. Matth. XXII, 21. (7) Potestatem magistratus non instrumentum iniustitiæ et iracundiæ in alterum adhibere, sed ea dumtaxat ad necessariam defensionem ab improborum iniuria uti, salua, quæ Christianos decet, mansuetudine et caritate; Matth. XVIII, 30. 1 Cor. VI, 1. 7. Denique (8) prementibus et vexantibus magistratibus patientia salutis suæ consulere, et omnes potius iniurias, quas Deo permittente intulerint, ferre, quam ullo modo eis resistere. Apoc. XIII, 7. 10. Matth. V, 39. XXVI, 52. Rom. VIII, 36. Iac. V, 6. 1 Petr. II, 19. Pf. LXXXV, 9. CXXV, 3. Prou. XXIV, 21. 1 Sam. XXIV, 7. XXVI, 9. 11. *LVTHERVS* Postill. Eccles. Dom. XXIII. post Trinit. (Tom. XIV. Lips. fol. 387. a.) „*Ferenda est principis potestas. Si sua potestate abutitur, non ideo vitari principem, aut hunc in eo abusum vindicari et puniri licet. Obediendum est ei unice propter Deum, loco enim Dei est. Quanta- cumque igitur imposuerint tributa, illis obedire, et omnia patienter ferre debemus propter Deum. Siue iuste, siue iniuste agant, id suo*

Y 2

„tem-

tempore iudicabit Deus. Quare si bona tua, corpus et vita tua, et quaecumque habes, tibi eripiantur a magistratibus, in hunc modum eos adloquere: Libenter hæc vobis trado, agnosco vos dominos meos, libenter vobis obediam. Vtrum diuinitus vobis data potestate recte utamini, an male, vos videritis.,

§. IX.

Solatum
piorum
ciuium
quod-
nam?

Solatum christianorum et piorum ciuium est, (1) quod Christus Iesus supra omnem principatum, et potestatem, et potentiam, et dominatum, supraque omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, verum etiam in futuro, euectus, atque ita regum rex et dominorum dominus sit; Eph. I, 21. Apoc. XIX, 16. (2) quod magistratus sit bono ipso- rum a Deo institutus; Rom. XIII, 4. (3) quod non recte factis metuendus sit, sed prave factis; com. 3. (4) quod secundum interioremem hominem nulli nisi Deo et seruatori suo subiecti sint, ipsique in iustitia, pace et gaudio per Spiritum sanctum seruire possint; Prou. XXIII, 26. Rom. XIV, 17. (5) quod sub externa et corporali subiectione secundum spiritum et fidem a Iesu Christo, regum terræ principe, reges facti sint Deo et Patri suo; Apoc. I, 5. 6. (6) quod Christus aduentu et regno suo regna huius mundi aboliturus, suisque cum iustitia et pace æternum præfuturus sit; Psalm. LXXII. LXXV, 11. XCVI. XCVII. XCIX. CXXV, 3.

Dan.

Dan. II, 44. Ies. IX, 4. Apoc. XIX, 20. (7) quod cum Christo in ipsius solio sessuri, et omnibus Christi ac suis ipsorum hostibus æternum dominaturi sint, Apoc. III, 21. I Cor. VI, 2.

§. X.

Solatium eorum, qui christiano magistra-
tu funguntur, virtutum §. IV. memorata-
rum studiosi est, (1) quod hic ordo a Deo
institutus sit, adeoque legitime vocati saluo
officio christiano illum gerere Deoque in illo
feruire possint; vid. §. II. (2) quod Deus
ipsos regni sui ministros agnoscat et hoc no-
mine honorari velit; vid. §. II. (3) quod
prosperitatem, opem et præsidium a Deo
certo sibi promittere possint, dummodo re-
gimen suum ad gloriam Dei et subiectorum
salutem vnice referant; Ios. I, 8. vid. §. VI.
(4) quod præ multis aliis multa ad vtilita-
tem & salutem hominum possint efficere,
vtpote quam ad rem ipse Deus per conces-
sam eis potestatem amplam occasionem ob-
tulit; vid. Act. XIII, 22. (5) quod de omni-
um piorum et religiosorum ciuium precibus
et supplicatione certi esse, et hinc mirificum
fructum a Deo, et quidquid boni in gloriam
Dei per eius Spiritum effecerint, pro eo
æterna gratiæ præmia sperare et expectare
possint; vid. §. VIII. (6) quod sancti angeli
ipsis contra malos spiritus aliosque eorum
inimicos suppetias veniant, pro illisque pu-
gnent;

gnent; Dan. X, 13. Psalm. XXXIV, 8. (7) quod voluntatem Dei in munere suo fideliter exsequuti, suam gloriam atque honorem in nouam Ierusalem collaturi et cum Christo aeternum regnaturi sint. Apoc. XXI, 24.

ARTICVLVS VICESIMVS
TERTIVS,

DE

STATV OECONOMICO.

§. I.

Tertius
status hierarchicus
quis?

Tertius status hierarchicus, in quo homines, ecclesiam constituentes, considerari possunt, est sic dictus *status oeconomicus*; ubi (1) de coniugibus, (2) de parentibus et liberis, (3) de heris et famulatio pauca et ea summam dicenda sunt.

§. II.

Auctor
coniugii
quis?

Auctor coniugii ipse Deus est, quippe qui non solum initio mulierem creauit, eamque Adamo adiutricem adiunxit, Gen. I, 27. 28. II, 18. sed hunc ordinem etiam nunc benedictione sua conseruat, eaque in re sanctam suam prouidentiam et vim flectendi animos demonstrat, Prou. XIX, 14. Vnde coniugium per se sanctus et diuinus ordo est, eamque ob rem sancte et reuerenter coram Deo habendus, Hebr. XIII, 4. 1 Tim. II, 15. *LV-THERVS* Conc. de Coniug. Tom. II. Alt. fol. 867. b. „*Coniugium totius sacrosanctæ*
„*Trini-*

„Trinitatis opus conditum, ordo et institutum
 „est, quemadmodum Moses Gen. II. scribit, quod
 „Elohim, DII (non Eloha in numero singulari,
 „DEVS siue persona singularis, sed) plures per-
 „sonæ diuinitatis Euam mulierem construxe-
 „runt ex vna de costis Adami, arête et graui-
 „ter dormientis. Et subiungit: Et adduxit
 „eam Elohim, DII, ad Adamum. Vt adeo tota
 „sacrosancta Trinitas, siue omnes tres diuini-
 „tatis personæ, Euam sponsam adducant et co-
 „mitentur, et quasi pronubæ sint; et præterea
 „Filius Dei, Christus Iesus, tamquam verus et
 „summus sacerdos, Adamum sponsum et Euam
 „sponsam copulat eisque bene precatur. Verba
 „enim, quæ, vt Moses c. II. narrat, Adamus lo-
 „quutus est, Christus Matth. XIX. et Marc. X.
 „Deum loquutum esse dicit. Hic profecto Chri-
 „stus Iesus, qui verus Deus est, fuit, per quem
 „Deus Pater loquutus est.”

§. III.

Coniugium ipsum consistit in coniunctio-
 ne duarum personarum, per naturam et di-
 uinam ordinationem huic statui aptarum, vt
 in arctissima et indissolubili consociatione ad
 vitæ usque finem viuant, Matth. XIX, 5. 6.
 I Cor. VII, 2. 10. In veteri testamento viris
 ob animi peruiaciam vxores suas repudia-
 re permissum erat, quod in nouo testamen-
 to, excepta adulterii aut malitiôsæ deservio-
 nis causa, locum non habet. Matth. V, 32.
 XIX, 9. I Cor. VII, 15. Rationem, cur adul-
 terium

terium diuorium faciat, exponit LVTHE-
RVS in Matth. V. Tom. VII. Witteb. fol. 32
b. (Tom. V. Alt. fol. 848. b.) „*Si quaesueris,*
„*an prorsus nulla causa sit, quæ permittat vi-*
„*ro cum uxore facere diuortium? Respondeo:*
„*Christus hoc capite et iterum Matth. XIX.*
„*hanc indicat, quæ adulterium dicitur, tractam*
„*e lege Mosaica, adulterium capitis supplicio*
„*puniente. Quum ergo sola mors matrimoni-*
„*um scindat et segreget, et alteram partem a*
„*iugo liberet, constat, iam adulterum quoque*
„*repudiatum esse, non per homines, sed ab ipso*
„*Deo, et non tantum a sua coniuge, sed etiam*
„*ab hac vita segregatum et exterminatum. Nam*
„*adulterii flagitio se ipse ab uxore sua segrega-*
„*vit, et matrimonium discidit, quod ipsi scin-*
„*dendum non erat, quo scelere mortem com-*
„*meruit, et iam coram Deo mortuus est, quam-*
„*quam a iudice non occidatur. Itaque Deo hic*
„*diuortium faciente, altera pars liberatur, ut*
„*non amplius compari cogatur esse obnoxia, ser-*
„*uare velit, nec ne eam, quæ lapsa est, nisi lu-*
„*benti animo facere voluerit.*” Polygamia
originem habet a Lamecho, Gen. IV, 19.
pugnare autem eam cum prima coniugii in-
stitutione, Christus docet Matth. XIX, 4-6.

§. IV.

Quis finis coniugii? *Finis* coniugii est (1) humani generis con-
seruatio et propagatio; Gen. I, 28. Tob.
VIII, 9. (2) mutuam vitæ adiutorium eo-
rum, qui coniugalis amoris vinculo inter se
con-

con-

coniuncti sunt, Gen. II, 18. Accedit (3) omnis *impuritatis*, cum christiana modestia et castitate pugnantis, *deuitatio*, 1 Cor. VII, 2. 9. quam ob rem illis, qui ecclesiæ ministrant, non sine graui peccato et culpa matrimonium interdici potest, vti fit in papatu. 1 Tim. III, 2-4. IV, 1-3. 1 Cor. IX, 5. Matth. XIX, 11. 12. Ceterum regula apostolica 1 Cor. VII, 38. ita habet: *Qui nuptum elocat* (dummodo in Domino fiat, com. 39.) *recte facit, et qui non elocat*, (dummodo hac dote præditus sit, com. 7. 9. Matth. XIX, 11. 12.) *rectius facit*.

§. V.

Officium I. eorum, qui extra coniugium viuunt, est: (1) acceptum diuini donum nam offi-
agendi vitam cælibem cum animi submissio-
ne possidere, nullum in eo meritum vel præ-
rogatiuam quærere, multo minus eorum, *Quod-
tra coniu-
gium vi-
uentium?*
qui ex diuina ordinatione in matrimonio de-
gunt, conscientias turbare. (2) Hoc ipso
dono ad verum scopum vti, hoc est, ad cu-
randum res Domini, vt Domino placeant,
1 Cor. VII, 32. vt et corpore sancti sint et
spiritu, com. 34. et ἀνεκτιστός, sine vlla
distractione, seu indiuisa cum Domino con-
iunctione, viuant, com. 35. II. *Illorum, qui* *Quod-
matrimonium inire volunt*, (1) animos suos nam illo-
ab omnibus consiliis et rationibus cum san-
ctitate huius ordinis pugnantibus per Spiri-
tum gratiæ purgare, eosque ad gratum Deo-
um inire
con-
volunt?

coniugium sanctificari sinere, ut in Domino ineatur. (2) Susceptum consilium ardentibus et supplicibus precibus Deo commendare, ab eoque de eiusmodi thalami confortare contendere, cuius in societate vitam christianam agere finemque huius ordinis adsequi possint. Gen. XXIV, 7. 12. 13. 14.

(3) In electione conjugis prohibitos ab ipso Deo Levit. XVIII. & XX. consanguinitatis et affinitatis gradus vitare. (4) Speciatim liberorum est, non secus ac suadentibus et consentientibus parentibus coire in matrimonium; ubi vero parentes ex morositate et iniquo huius illiusve rei respectu potestate sua ad noxam et detrimentum liberorum abuti haud decet. (5) Cauere, ne nuptiarum sollemnibus, quæ cum ostentatione et luxu, cum comissionibus et compotationibus, aliisque vanis et ludicris actionibus, homines christianos dedecentibus, celebrantur, diuinam benedictionem perdant, illius autem loco grauem sibi maledictionem & pœnam attrahant. III. *Eorum, qui in con-*

Quod-
nam offi-
cium con-
iugum?

iugio viuunt, (1) cum studio christianæ abnegationis et sanctimonix vitam conjugalem vna viuere, nec committere, ut per hoc vitæ genus a cælestis vocationis ad nuptiarum Agni cœnam habenda ratione auocentur. Tob. VIII, 4-6. 1 Cor. VII, 29. Luc. XIV, 20. coll. Gen. III, 12. 1 Theff. IV, 3-5. (2) Datam fidem ad mortem usque in-

integram seruare, nec se inuicem malitiose deserere. Hebr. XIII, 4. 1 Cor. VII, 10. 11. Matth. V, 32. XIX, 3-9. Malach. II, 14-16. (3) Tam læta, quam diuinitus immisſa triſtia, per ardentis, fidelis & ſinceræ caritatis ſpiritum habere inter ſe communia, et generatim in rebus et neceſſitatibus huius vitæ omnibus ſibi mutuam auxilium præſtare. *Specialia* maritorum et vxorum officia vid. in tabula ſic dicta œconomica, ſecundum 1 Cor. VII, 3. 4. 5. 12. 13. 15. Col. III, 18. 19. Eph. V, 22. 23. 1 Petr. III, 1-7.

§. VI.

Solatiū hominum chriſtianorum, *extra* Quod-
matrimonium viuentium, eſt, (1) quod a nam ſola-
multis adſtictionibus et tentationibus, quæ tium ho-
cum matrimonio coniunctæ ſunt, immunes minum
eſſe poſſint; 1 Cor. VII, 28. (2) quod in chriſtia-
publicis calamitatibus et vexationibus tole- norum
rabilior ſit ipſorum quam matrimonio iun- extra ma-
ctorum conditio; Matth. XXIV, 19. Luc. trimoni-
XXIII, 28. 29. (3) quod ſanctimoniam um vi-
tanto inoffenſius perſequi, viresque ſuas ad ventium?
gloriam Dei, et commoda vtilitatemque alio-
rum adhibere poſſint; Matth. XIX, 12. 1 Cor.
VII, 32. 34. 35. (4) quod in hoc vitæ ge-
nere vitam et conditionem eorum quodam-
modo adumbrent, quibus vitam cæleſtem
adſequi et ex mortuis reſurrexiſſe contigit,
quippe qui nec ducunt vxores, nec nubunt,
ſed angelorum Dei ſimiles ſunt, et tamquam
in-

intemeratæ virgines Agnum, quocumque vadar, sequuntur. Luc. XX, 35-36. Apoc. XIV, 4. *Piorum coniugum solatium* est, (1) quod hic ordo per se diuinus et sanctus ordo sit, in quo proinde saluo officio christiano degere eoque vti possint; Gen. II, 18. 22. 1 Cor. VII, 36. 1 Tim. IV, 1. 3. 4. 5. (2) quod Deus non solum in corporalibus peculiarem benedictionem huic ordini attribuerit, Gen. I, 28. Leuit. XXVI, 9. sed eum etiam occasionem multum boni spiritualis participandi esse velit; Rom. VIII, 28. (3) quod eis hoc ipso omnes calamitates et ærumnæ huius sæculi leniantur et reddantur dulces; Gen. XXIV, 67. Prou. XXXI, 10-12. Sirac. XXVI, 1-4. 16. (4) quod christianum et sanctificationis coniugium commonefactio et symbolum sit mysticæ et arctissimæ coniunctionis inter Christum sponsum et ecclesiam sponsam eius; Eph. V, 23. 32. Vid. supra Part. II. Artic. VIII. §. IV. VI. X. (5) quod terrestri coniugio in eoque certamine fidei ac patientiæ religiose perfuncti ad cœnam nuptiarum Agni peruenturi, et in sempiterno, arctissimo et indissolubili amore ac coniunctione cum Christo victuri sint. 1 Thess. IV, 16. 17. Apoc. XIX, 6-9. XXI, 2. 3. 4. 7.

§. VII.

Ordo inter
parentes et libe-
ros vnde?

Ordo inter parentes et liberos similiter a Deo est, quippe qui non solum in ordine, na-

naturæ a se insinuato, coniugibus dat liberos, Gen. I, 28. XXX, 1. 2. XLVIII, 9. Iob. X, 18. eosque paterna imagine sua ornat, Ps. CXXVII, 4. sed etiam ad stabiliendum et confirmandum istum ordinem animis parentum ac liberorum singularem propensionem et amorem inter se mutuum indidit, Ps. CIII, 13. Ies. XLIX, 15. et tum illos tum hosce ad certa officia per verbum suum obstrinxit.

§. VIII.

Officia parentum erga liberos sunt, (1) illos educare, et necessaria eis alimenta corporis pro virili parte subministrare, usque dum sibi ipsi victum comparare possint; Eph. VI, 4. (2) in hoc elaborare, ut mentibus liberorum veram Dei et seruatoris sui cognitionem in tempore instillent; eumque in finem eis verbum diuinum a teneris, ut aiunt, vnguiculis inculcare, hortandoque illos ad verum pietatis et sanctæ vitæ studium instare; Eph. VI, 4. Gen. XVIII, 19. Deut. VI, 6. 7. XI, 19. Ps. LXXVIII, 4. 6. 9. 2 Tim. III, 15. 2 Sam. XII, 25. Tob. IV, 6. 22. (3) ipsos non ad præstandum se huic sæculo similes, sed ad imitandum seruatorem suum ipsiusque humilem vitam crucis effingere et instituere; Marc. X, 13. 2 Macc. VII, 21. 22. 23. 27. 28. 29. (4) ea in re bonum et inculpatum illis exemplum præbere, nec vlla ratione esse offendiculo; Matth. XVIII, 1. 6. 10. (5) in peccatis et vitiis eorum non con-

Officia
parentum
erga libe-
ros que-
nam?

con-

conuiuere, sed ob ea paterne ac sincere eos
 corrigere et castigare, non aliter tamen atque
 ad eorum emendationem; 1 Sam. II, 22. 24.
 29. Ebr. XII, 7. 9. 10. Sirac. VII, 25. Prou.
 XX, 30. (6) sedulis atque ardentibus pre-
 cibus eos Domino commendare, utpote a
 quo omnis bonæ ac salutaris educationis suc-
 cessus proficiscitur, 1 Sam. I, 28. Psalm.
 CXXVII, 1. LV THERVS Conc. de Matri-
 monio, Tom. I. Ien. lat. fol. 334. b. (Tom.
 I. Alt. fol. 301. a.) „Hoc audiant, qui in ma-
 „trimonio copulati sunt, quod nullum opus Deo
 „gratius, christianæ reipublice nihil utilius, pa-
 „rentibus et liberis nihil salubrius contingere
 „potest, quam si pueri pie instituantur. Pere-
 „grinationes ad Romam, Hierusalem, ad Com-
 „postellam S. Iacobi nihil sunt collatae ad hoc,
 „quod est ceu regia via parentibus perueniendi
 „ad regnum Dei. Præterea hoc officio carere
 „tam absurdum videtur, quam ignem non vre-
 „re, aquam non humectare. Ut ergo in liberis
 „tuis cælum, sic infernum quoque citissime me-
 „ruisti. Nihil abiectius execrabiliusue feceris,
 „quam si negligenter pueros tuos educas, quod
 „tum fit, quando finis blasphemare, impuden-
 „ter loqui, impuras cantilenas discere, et iux-
 „ta prauam eorum voluntatem viuere. Tales
 „sunt quidam, qui pueros indecenti amictu ad
 „mundum adiciunt, ad pompam et fastum vi-
 „te, ad diuitias instigant, ad honores, magis
 „solliciti de corpore quam anima puerorum,
 „ne

„neque considerantes maximam iacturam immi-
 „nere rebus christianis per pueros perperam in-
 „stitutos, quæ si debent reformari, necesse est,
 „ut olim a pueris fiat initium. Hoc tertium bo-
 „num matrimonii maximum est et utilissimum,
 „quod non solum debita matrimonii et imper-
 „fectiones, verum etiam omnia alia peccata
 „tolleret, si modo falsus amor lapsæ naturæ non
 „usque adeo obcecaret miseros parentes, qui
 „pluris faciunt puerorum corpora, quam ani-
 „mos. Hinc Salomon: Qui parcit virge, is
 „odit filium proprium, et qui diligit filium,
 „sepius castigat. Sunt in corde pueri stulta
 „decreta et puerilia, quæ per virgam tolluntur,
 „Prou. XXII, 15. Hinc idem: Si virga per-
 „cusseris filium, redimes animam eius ab infer-
 „no. Prou. XXIII, 14. Necesse est, ut diligen-
 „tius et frequentius meditentur coniuges, quæ
 „saluti animæ conducunt, quam quæ corporis.
 „Itaque tandem sic tibi persuade, quod puer
 „est ceu thesaurus eximius, a Deo commissus,
 „magna diligentia custodiendus, ne a diabolo,
 „mundo vel carne possit seduci, et quod hunc
 „thesaurum in morte et extremo iudicio accu-
 „rato examine repetiturus sit Deus. Vnde enim
 „miserabilis eiulatus et horrendus fletus ea-
 „rum, quæ plangent, dicentes: Beati ventres,
 „qui non pepererunt, et beata ubera, quæ non
 „lactauerunt? Luc. XXIII, 29. Procul dubio
 „ex hoc, quod filios commissos a Deo pessime
 „educarunt.,

§. IX.

Quæ-
nam sunt
officia li-
berorum?

Officia autem liberorum sunt: (1) Deo, ex quo omnis et in cælis et terra denominatur cognatio, pro omnibus beneficiis, quæ per naturales parentes in ipsos contulit, gratias agere, providentiam illius ea in re agnoscere, ipsumque tanto ardentius amare. (2) Respectu paternæ imaginis, qua parentes a Deo ornati sunt, ipsos in animo suspicere et reuereri, eamque reuerentiam externis gestibus, verbis ac factis demonstrare, Gen. XLVI, 29. XLVIII, 12. L, 1. Tob. IV, 3-5. Sirac. III, 3. 8. 9. 11. 13. 14. LVTHERVS Expofit. Decalogi ex Exod. XIX. XX. Tom. IV. Alt. fol. 615. b. „Non oportet liberos in parentibus suis solam carnem et sanguinem spectare. Hæc enim si tantummodo spectant, nihil splendidi in illis deprehendent et facile contemnent parentes. Debent autem aperire oculos, et supra carnem et sanguinem attollere, et rem admirandam in parentibus suis animadvertent. Duo enim in parentibus spectanda sunt, primum, quod caro et sanguis sunt, deinde cimelium, quod parentibus adligavit Deus, videlicet verbum suum. Ita enim verbo suo eos inclusit, velut hostia adseruanda includitur sacræ pyxidi, eosque voluntate sua vestiuit. Quocirca parentes spectandi sunt tamquam gestantes verbum et voluntatem Dei.” (3) In omnibus rebus filiali animo illis obedire, Exod. XX, 12. Sirac.

Sirac. III, 1-17. Eph. VI, 1. 2. ita tamen, ut ne obedientiam, Deo debitam, abiicere necesse habeant. Deut. V, 32. 33. XXXIII, 9. Psalm. XLV, 11. 12. Matth. X, 37. Luc. II, 49. XIV, 26. (4) Bona parentum suorum exempla imitari, contra ea cauere, ne mali suorum exemplis ad imitationem et similitudinem prauorum morum ullo modo abripiantur. Ps. XLIX, 19. 20. LXXVIII, 8. 9. Zach. I, 3. 4. Matth. XXIII, 30-32. 1 Petr. I, 18. Vid. libri Regum. (5) Pro corporali et spiritali salute eorum ardentibus ad Deum precibus facere. (6) Vitia et naeuos eorum patienter ferre, amanter tegere et excusare. Gen. IX, 21-23. Sir. III, 9. II. 12. 14. (7) Alimenta, si quidem eorum indigeant, ipsis præbere atque ita vicem reddere. Sirac. III, 14. 15. 1 Tim. V, 4. 8. Gen. XLV, 18. XLVII, 12. LV THERVS Exposit. Decalogi ex Exod. XIX. XX. Tom. IV. Alt. fol. 617. a.

„Quando ergo educati sumus, et maritos et uxores ipsi iam agimus, si parentes nostri opibus indigeant, si sint pauperes, si esuriant, si siti-
ant, si nudi, ægri et infirmi sint, nostrum est
eis succurrere et seruire, cibum, potum, vestes,
aliaque vite subsidia subministrare, eosque in rebus sanctissimis, quæ in terra repe-
riuntur, ponere. Honor enim, qui illis debetur, non in verbis et gestibus, sed potius in opere situs est. Exiguus sane honor esset, si parentum gratia caput aperirem, eos autem ni-

Z

hilo

„hilo minus esurire paterer. Non verbis tantum
 „aut lingua, (quemadmodum Ioannes in epist. III.
 „v. 18. docet,) sed re et veritate amare debemus.“

§. X.

Quod-
 nam pio-
 rum pa-
 rentum
 solatium?

Solatium christianorum et piorum paren-
 tum est, (1) quod ipsorum amor in liberos
 indubitatus testis et efficax commonefactio
 sit infinite maioris amoris, quo cælestis Pa-
 ter liberos suos complectitur; Psalm. CIII,
 13. Ies. XLIX, 15. 16. Luc. XI, 11-13.
 (2) quod in recte educandis liberis fu-
 is ipsius Dei partes agant, imaginem eius ge-
 rant, illumque imitentur; (3) quod here-
 ditas lehouæ sint liberi, et fœtus ventris præ-
 mio detur ab eodem; vid. §. VII. (4) quod
 bona liberorum educatio sit res summe ne-
 cessaria et ardua, vnde ad innumeros omni-
 um ordinum homines maxima utilitas redun-
 dare possit; vid. Gen. XLI, 35-55. 1 Sam. I,
 27. 28. II, 11. 26. III, 20. 22. VII, 3. 6. 8. 9.
 13. 15. (5) quod probi et bene morati libe-
 ri illis lætitiæ, solatio et oblectationi sint, non
 in hoc tantum, sed in futuro etiam sæculo,
 ipsique omnis operæ ac laboris, in eorum
 educatione infanti, largos fructus messuri
 sint; Gen. XLV, 27. 28. XLVI, 29. 30.
 Matth. VIII, 11. (6) quod, si, omnibus of-
 ficiis parentum diligenter studioseque præ-
 stitis, nihilominus degenerent liberi, Deus
 hoc ipsis culpæ et vitio non sit daturus; E-
 zech. XVIII, 4-13. 20. et quod (7) multi
 pū

pii et religiosi parentes ante ipsos habuerint malos et degeneres filios. Vide exempla Noachi, Abrahami, Isaaci, Iacobi, Samuelis, Daudidis, ceterorum. Quid? quod ipsi Deo, vniuersali omnium hominum parenti et conditori, contingat, vt illorum paucissimos ad bonam frugem perducatur. Deut. XXXII, 15. 18. 19. 20. Ies. I, 2-4.

§. XI.

Solatum piorum ac morigerorum liberorum Quod est: (1) quod præstet vnus bonus filius, nam piorum liberorum solatium? quam mille improbi; Sirac. XVI, 3. (2) quod cælestis Pater et Iesus Christus, seruator noster, pios liberos ardentissime amet, immo angelos etiam suos ministros et custodes eis adiunxerit; Rom. IX, 13. Tob. V. VI. X. XII. Matth. XVIII, 10. (3) quod pii liberi naturalibus etiam parentibus voluptati, lætitiæ et solatio sint; vid. Prouerbia Salomonis et liber Siracidis passim; (4) quod ipse Christus Iesus non solum cælesti Patri, sed etiam nutricio et matri suæ, quum heic humilis ageret, subiectus et dicto audiens fuerit, cuius adeo in imitatione filii morigeri versantur; (5) quod Deus morem, a liberis gestum parentibus, tamquam sibi ipsi gestum spectet, et temporariis, spiritualibus et sempiternis præmiis pro gratuita sua bonitate remunerare velit, Eph. VI, 3. Sirac. III, 6. Ierem. XXXV, 18. 19. Luc. II, 51. 52. Sicuti contra ea perpetuæ malorum filiorum

Z 2 in

in parentes suos contumaciæ temporarias æternasque pœnas minatus est, Exod. XXI, 15. Leuit. XX, 9. Deut. XXI, 20. 21. XXVII, 16. Prou. XX, 20. XXX, 17. Rom. I, 30. 32. Huc Chami, Gen. IX, 25. Absolomi, 2 Sam. XVIII, 9. seq. ceterorum exempla spectant; (6) quod, si malos parentes habeant, eorum peccata Deus ipsis non imputare, nec propterea illos gratia sua et vita æterna indignos habere velit; Ezech. XVIII, 14-20. (7) quod, si forte ob peccata parentum temporalem pœnam vna sustinere necesse habeant, hanc tamen ipsis salutaris crucis loco et simul adiumento ad bonum esse oporteat. Rom. VIII, 28. 1 Cor. XI, 32.

§. XII.

Quinam
præterea
ordo in
hoc statu
spectan-
dus?

Denique de *heris* et *famulitio* agendum est, quo certo modo spectant, quæ superiore articulo de magistratu politico eiusque potestati subiectis dicta sunt.

§. XIII.

Officia
herorum
quænam?

Officia herorum in specie sunt: (1) famulorum paterno amore prosequi; Sir. XXXIII, 31. Luc. VII, 2. 3. (2) non solum corporis alimenta eis subministrare, sed pro illorum etiam animabus vigilare, earumque curam gerere; Gen. XVIII, 19. Deut. VI, 7. Psalm. CXIX, 54. Io. IV, 51-53. (3) debitam illis mercedem dare; Iac. V, 4. et (4) omni mansuetudine uti, scientes, habere et se dominum in cælis. Eph. VI, 9.

§. XIV.

§. XIV.

Officia christianorum seruorum sunt: (1) Officia Deum ex animo timere, vt heri precibus et seruorum labore eorum fortunentur. Gen. XXIV, 12. quænam? seq. XXX, 27. 30. XXXIX, 5. (2) Heros suos omni honore dignos existimare, nec, si fidentes sunt, ideo contemnere, quia fratres sunt, sed illis eo magis seruire, quia fidentes Deoque cari sunt, idem beneficium adepti. 1 Tim. VI, 1. 2. (3) In omnibus rebus, quibus Deus non offenditur, illis cum animi simplicitate, sine seruili mercedis studio, tamquam ipsi Christo obedire. Tit. II, 9. 10. Eph. VI, 5-7. Col. III, 22. 23. LVTHERVS Summa Christianæ Vitæ, 1 Tim. I. Tom. VII. Witteb. fol. 315. a. (Tom. VI. Alt. fol. 37. a.) „Seruus laborans et non amplius cogitans, quam ita: Dominus meus mercedem mihi numerat, cuius gratia ipsi seruo, alias non dignarer illum adspicere, primum cor non habet, neque enim seruit nisi pro bucella panis; qua ablata cessat etiam eius seruitus. Sin autem probus et christianus fuerit, sic potius adfectus est: Non propterea seruiam, quod dominus mercedem mihi soluit, quod probus aut improbus sit, cet. sed ideo, quod verbum Dei sic ad me loquitur: Serui, obedite dominis vestris, tamquam Christo, cetera. Hic ultro e corde ebullit, quod verbum apprehendit, et magnificat, inquit: Domino meo seruiam, mercedem recepturus. Illud

„autem maximum erit, cuius gratia seruitutem
 „seruio, ut Deo meo et Domino Iesu Christo
 „seruiam, qui seruilem conditionem mihi im-
 „posuit, quam ipsi in me placere scio, cet. Heic
 „verum opus ex puro corde profectum cernis.,
 (4) Amorem et fidem illis suam probare,
 et diligenter studioseque cauere, ne quid
 furripiant, aut interuertant. Tit. II, 10. col-
 lat. Philem. com. 18. Tandem (5) illorum
 etiam herorum, qui dure et inique eos tra-
 ctant, mores patienter ferre. 1 Petr. II, 18.

§. XV.

Quod-
 nam pio-
 rum he-
 rorum
 solatium?

Solatium piorum herorum in eo consistit,
 quod de fauore Dei in hac vitæ suæ ratione
 certi esse sibi que penitus persuadere possint,
 Deum, dominum dominantium, cuius serui
 et ipsi sunt, vicissim erga ipsos se ita gestu-
 rum esse, quemadmodum erga famulitium
 suum sese gesserint.

§. XVI.

Quod-
 nam pio-
 rum ser-
 uorum so-
 latium?

Solatium piorum seruorum est: (1) quod
 seruitus, quæ ad corpus attinet, non im-
 pediat, quo minus libertate in Christo gau-
 deant et fruantur; 1 Cor. VII, 22. (2) quod,
 si cum animi simplicitate et timore Dei ho-
 minibus seruiant, Christus hoc accipiat, tam-
 quam sibi factum; Col. III, 22-24. Eph.
 VI, 7. (3) quod hoc gratiam emereatur, si
 dominis suis seruientes iniuriam patiantur,
 eamque æquo ferant animo; 1 Petr. II, 19.
 20. (4) quod officiis suis, vilibus licet con-
 tem-

rentisque coram mundo, fideliter perfun-
cti, a Domino hereditatem præmio acceptu-
ri; Col. III, 24. Eph. VI, 8. et (5) ex omni
molesta huius vitæ seruitute dimissi, sempiternum in cælo iubilum celebraturi sint.
Leu. XXV.

ARTICVLVS VICESIMVS
QVARTVS.

DE
M O R T E.

§. I.

Posteaquam hætenus hominem secundum *Quænam*
tres diuersos status *innocentiæ, peccati*, inter
et reparatæ per Christum *gratiæ* considera- hunc et
vimus; reliquum est, vt secundum *quar-* antece-
tum statum, futura videlicet *gloriæ*, eum spe- dentem
ctemus. Quum autem ipsam perfectam articulum
eius, quod ad animam et corpus, fruitionem
varia præcedant, in primis *mors corporis*,
ideo de ea in hoc articulo, quæ maxime
sunt necessaria, ex verbo Dei producemus.

§. II.

Causa mortis corporalis *non est* tribuenda De causa
Deo, Sap. I, 13. 14. qui ipsa vita est et vita dele- mortis
statum, Sap. XI, 27. Pf. XXX, 6. hominemque corporalis
ad immortalitatem creauit, Sap. II, 23. Interim quid no-
opus etiam suum in ea habet, siquidem non tandum?
solum tamquam iustus iudex sententiam
mortis de homine pronuntiauit, Gen. II, 17.

Z 4

sed

sed singulis etiam hominibus vitæ suæ terminum statuit atque definiuit, Iob. XIV, 5. Ps. XXXI, 16. CXXXIX, 16. mortem etiam, per se quidem peccati stipendium, credentibus in Christum in salutarem castigationem et magnum beneficium conuertit, Io. VIII, 51. XI, 11. 25. 26. Contra ea *diabolus ἐνδemonόκος* (homicida) est ab initio, Io. VIII, 44. quandoquidem eius inuidia mors in mundum intrauit, Sap. II, 24. quippe qui primos parentes, et nos in illis, in peccatum præcipitauit, vnde mors statim ad omnes homines peruasit, Gen. III, 1-19. Rom. V, 12. c. VI, 23. 1 Cor. XV, 21.

§. III.

Quinam
morti ob-
noxii?

Obnoxii morti sunt omnes homines, Sirac. XIV, 18. Ios. XXIII, 14. Iob. XXX, 23. sine ullo personarum discrimine, Iob. III, 19. Psalm. XLIX, 11. Eccles. II, 16. Sirac. XL, 2. 3. 4. quippe qui omnes in Adamo peccauerunt, Rom. V, 12. 1 Cor. XV, 21. 22. LVTHERVS Comment. in Gal. III. Tom. V. Witteb. fol. 349. b. (Tom. VI. Alt. fol. 701. a.) „*Mors est (quasi) omnipotens imperatrix totius mundi, necans reges, principes, et simpliciter omnes homines.*” Vnde etiam Christum, seruatorem nostrum, peccati licet ignarum, 2 Cor. V, 21. quia peccatorum vicem sustinuit, mortem pati oportuit, Ies. LIII, 9. Hebr. II, 9. 14. Certo tamen modo excipiuntur, qui ad postremæ tubæ clangorem

Quinam
excipiun-
tur?

rem

rem *mutabuntur*, 1 Cor. XV, 51. 52. et qui in huius rei typum ex hoc mundo viui translati sunt, vii Henochus et Elias, Gen. V, 24. coll. Hebr. XI, 5. Sirac. XLIV, 16. 2 Reg. II, 11. Bellua etiam et falsus vates comprehendendi et viui in stagnum ignis ardens sulphure coniiciendi dicuntur. Apoc. XIX, 20.

§. IV.

Mors ipsa consistit in priuatione vitæ naturalis, quæ ex dissolutione animæ et corporis oritur; quam statim excipit corporis consistit? corruptio, ad quam adiuuandam cadauer in terram condi et sepeliri solet, Gen. III, 19.

Anima autem superstes viuit, non moritur aut perit morte, utpote immortalis, Eccles. XII, 7. 2 Cor. V, 6. 7. 8. Phil. I, 23. 2 Petr. I, 14. Qui contrarium statuunt, homines insani sunt, quorum characteres depinguntur Sap. II. coll. Gen. XXV, 32. et 1 Cor. XV, 32. Eorum autem nimis fera penitentia et erroris sui agnitio pluribus describitur Sap. V, 1-14.

§. V.

Media, quibus ista dissolutio efficitur et adiuuatur, non sunt vnus eiusdemque generis. Alii *senio* confecti moriuntur, quum nimirum naturalis calor et humor debilitatur et consumitur, ut vires deficiant et vitam tandem exstinguatur instar luminis, cui oleum deest. Alii vitam amittunt *morbis*, causas naturales habentibus, oppressi, quum

Quibus mediis ista dissolutio efficitur?

vires naturæ adhuc satis valentes longiorem
 vitæ vsuram dare potuissent. Alii abripi-
 untur *morte violenta*, vbi nonnumquam di-
 vinum iudicium intercedit; vti exempla Ab-
 folomi, 2 Sam. XVIII, 14. Achabi et Iesabelis,
 1 Reg. XXI, 19. 23. XXII, 38. 2 Reg. IX. An-
 tiochi, 2 Maccab. IX, 9. Herodis, Act. XII, 23.
 aliorumque plurium testantur. LVTHE-
 RVS ad P. salm. CX. Tom. VIII. Alt. fol. 179.
 a. „*Variis modis diem suum obeunt homines.*
 „*Alii aqua, igne alii pereunt; alii in bello*
 „*trucidantur, alii pestilentia moriuntur, alii*
 „*aliis morbis in lecto. Nihil autem interest,*
 „*quemadmodum quis naturæ debitum reddat.*
 „*Vbi bona vita antecessit, mala mors sequi*
 „*haud potest. Qui bene vixit, male mori ne-*
 „*quit. Raro aliquis bene moritur, qui male*
 „*vixit. Bene autem viuere non est quotidie*
 „*laute viuere et voluptatibus indulgere, vti*
 „*huius mundi homines viuunt, sed fiducia vi-*
 „*vere Filii Dei, Gal. II, 20. ambulare in præ-*
 „*ceptis Dei, et alteri benefacere. Bene mori*
 „*est libenter mori; libenter mori fides adfert,*
 „*bene viuere fructus fidei adferunt. Qui De-*
 „*um sibi per Christum propitium esse credit,*
 „*is libenter moritur, scit enim, quo commi-*
 „*gret. Qui etiam aduersus alterum simplici-*
 „*ter et candide se gerit, eique facit, quod sibi*
 „*factum velit, is non potest male mori.*“ Mul-
 ti mortem sibi ipsi accelerant, vt adeo sua
 ipsorum culpa, permittente quidem diuino
 numi-

numine, velut iusto iudice, statutum vitæ terminum anticipent, quod non solum violenta αὐτοχρησία, quum quis ipse sibi manum infert, 1 Sam. XXXI, 4. Matth. XXVII, 5. sed ebriositate etiam, Sir. XXXI, 30. intemperantia, c. XXXVII, 33. 34. tristitia huius sæculi, 2 Cor. VII, 10. audacia et temeritate, Sir. III, 24. seqq. aliisque modis pluribus fieri solet.

§. VI.

Status animæ de corpore egressæ non vnus Quid de
idemque, sed diuersus est, pro diuersa eius statu ani-
conditione, et prout adfecta fuit atque egit inæ post
in corpore. *Fideles* enim, qui heic tamquam mortem
inquilini ac peregrini a Domino absuerunt, notan-
post mortem, quod ad animam, apud Domi-
num adsunt, 2 Cor. V, 8. apud Christum,
Phil. I, 23. cum maioribus suis, Gen. XXV,
17. in paradiso, Luc. XXIII, 43. sub ara,
Apoc. VI, 9. in quiere, Apoc. XIV, 13. Sap.
IV, 7. in pace, c. III, 3. Ies. LVII, 2. in ma-
nu Dei, Sap. III, 1. in sinu Abrahami, Luc.
XVI, 23. LV THERVS Comment. in Ge-
nes. XXV. Tom. VI. Witteb. fol. 351. a.
(Tom. IX. Alt. fol. 701. b.) „Sicut mater
„desert infantem in cubiculum, ponit in cu-
„bas, non vt moriatur, sed vt dormiat et qui-
„escat suauiter; ita ante Christum, et multo
„magis post Christum ingressæ sunt et ingredi-
„untur omnes animæ credentium in sinum Chri-
„sti. „ Animæ autem hominum infidelium,
quæ in impenitentia et veteri nariuitate ex
cor-

cor-

corpore migrarunt, *εἰς ἴδιον τόπον*, in suum quæque locum eunt, Act. I, 25. detruduntur in foueam, Psalm. LV, 24. dantur in custodiam, Matth. V, 25. in carcerem, 1 Petr. III, 19. in tenebras, Psalm. XLIX, 20. subeunt iudicium, Hebr. IX, 27. coll. Io. V, 24. in orco sunt et cruciatibus, Luc. XVI, 23. Ceterum inter beatas animarum iustorum sedes et locum damnatorum *χάσμα μέγα*, vasta vorago constat, qua ab se inuicem separantur, vti liquet ex Luc. XVI, 26.

§. VII.

Quodnam nostrum officium secundum hanc doctrinam?

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) ex morte corporali deformitatem peccati et iustitiam diuinam cognoscere et reformidare; Psalm. XC, 8. 9. Rom. V, 12. VI, 23. (2) mortalitatem nostram diligenter nobis apud animum proponere, ad eamque rem in primis ex aliorum hominum obitu occasionem arripere; Psalm. XXXIX, 6. XC, 12. Sirac. XXXVIII, 23. collat. Io. XIX, 41. (3) per veram penitentiam et quotidianam renouationem peccato demori, cuius dominium non potest non infelicem mortem adferre; Rom. VI, 6. 11. Io. VIII, 24. (4) in primis ea peccata studiose fugere, quibus quis sua fata ipse abrumpere, atque *αὐτόχειρ*, suus ipsius homicida, fieri potest; vid. supra §. V. (5) amoris mundi huiusque bonis apparentibus vniuersis ex animo valedicere, quip-

quippe quorum haud quidquam morientes
sequitur, et qui e contrario mortem infeli-
cem tantoque formidolosiores et acerbio-
rem illis reddit; Psalm. XVII, 14. XXXIX, 7.
8. 9. XLIX, 18. LXXIII, 17-20. Iob. I,
21. 1 Tim. VI, 7. 1 Cor. VII, 29-31.
(6) Deum adliduis inuocare precibus, ut
beatum e vita discessum nobis largiri, ad
eumque per Spiritum sanctum, futuræ hæ-
reditatis nostræ arrhabonem, præparare ve-
lit; 2 Cor. V, 5. Luc. II, 29. tandem (7)
instante emigrandi hinc tempore, ad serua-
toris nostri omniumque ipsius sanctorum et
dilectorum exemplum, animam nostram
ipsi in manum commendare, certaque sub
spe futuræ resurrectionis obdormiscere. Luc.
XXIII, 46. Psalm. XXXI, 6. Act. VII, 58.
59. Hebr. XI, 13.

§. VIII.

Solatium fidelium filiorum Dei est: (1) Quod.
Quod mors ipsis non casu et fortuitu, sed nam filio-
ex sancta, bona et sapientissima cælestis Pa- rum Dei
tris voluntate accidat, Psalm. XXXI, 16. solatium?
XC, 3. CXXXIX, 16. 2 Tim. IV, 6. 2
Petr. I, 14. (2) Quod, si moriuntur, non
sibi ipsis, sed Domino moriantur, adeoque
non in vita solum, sed in ipsa etiam morte
Domini sint maneatque, Rom. XIV, 7. 8.
(3) Quod hic ipse eorum dominus Dei be-
neficio mortem passus sit, et morte atque
resurrectione sua mortem aboleuerit et vi-
tam

tam

tam atque ἀφθαρσίαν, incorruptibilitatem,
 in lucem produxerit, immo secum ipsos
 peccati victores fecerit. Hebr. II, 9. 2 Tim.
 I, 10. LVTHERVS Epist. ad Hartmu-
 thum a Cronberg, Tom. II. Alt. fol. 117. a.
 „Quis nobis agere facere potest, si eum habe-
 „mus Dominum, qui mortem et omnium ad-
 „versariorum vitam in sua habet potestate? et
 „nos tam blande adloquitur Io. XVI, 33: Bo-
 „no este animo, ego vici mundum. Mortem
 „nobis minantur aduersarii. Si ita sapientes
 „essent, ut stulti sunt, vitam nobis minaren-
 „tur. Plena ludibrii et ignominiosa minandi
 „ratio est, quod Christum et Christianos mor-
 „te terrent, quum tamen mortis domini sint
 „et victores. Perinde ac si quem terrere vel-
 „lem eo, quod capistrum equo induerem impo-
 „sitoque ephippio ipsum in illo vehi iuberem.
 „Enim vero non credunt illi, Christum, de
 „mortuis suscitatum, esse vitæ ac mortis domi-
 „num. Illis adhuc in sepulcro, immo in orco,
 „videtur esse. Nos autem scimus, gloriamur
 „et exultamus, quod surrexerit, et mors ni-
 „hil sit nisi peccati et sui ipsius finis. Vita
 „enim, quæ in hac carne viuatur, adhuc in
 „peccatis heret, nec sine peccatis esse potest pro-
 „pter carnem. Hinc spiritus captiuus in nobis
 „clamat: Adeste, mors et dies nouissima, ad-
 „ferte tandem tum peccati tum mortis finem.
 „Amen! „ (4) Quod mors hinc ipsis non
 proprie pœna peccatorum, sed ex Christi
 me-

merito et satisfactione in salutarem castigationem et somnum mutata sit, Io. VIII, 51. XI, 25. 26. Psalm. CXVI, 15. LVTHE-
RVS Epist. Consolator. ad Fridericum, Ele-
ctorem Saxoniae, Tom. I. Alt. fol. 382. a.

„Magni momenti res est, quod mors, quam
„ceteri mortales malorum omnium maximum
„credunt, nobis fiat lucrorum omnium maxi-
„mum. Nisi Christus, Dominus noster, hanc
„nobis gratiam et hoc beneficium tribuisset,
„nihil quidquam fecisset tam magna, tam li-
„berali, tamque benigna sui ipsius traditione
„dignum. Quod enim opus fecit, plane diui-
„num est. Unde mirum non est, quod malum
„mortis rerum omnium optimam fecerit. Qua-
„propter mors Christianis iam mortua est et
„periiit, nec quidquam terribile habet præter
„speciem et exilem sictamque faciem. Perin-
„de atque occisus serpens terribilem quidem
„speciem, quam viuus habuit, adhuc habet, re-
„ipsa tamen nuda species et figura est, nec nisi
„mortuum et nocere nesciunt malum. Immo
„vero quemadmodum Num. XXI, 8. legimus,
„Deus serpentem æneum in perticam efferri
„iussit, quem si quis intuebatur, viui serpentes
„moriebantur: ita mors nostra, si Christi Do-
„mini nostri mortem fiducialiter intuemur,
„moritur, nec præter figuram et speciem mor-
„tis quidquam amplius apparet. Adeo blande
„sub hac pulchra figura et specie cum infirmi-
„tate nostra ludit diuina misericordia, ut,
„quo-

„quo-

„quoniam mortem non prorsus tolli oportuit,
 „illa saltem robur, vires et potentiam suam
 „exueret, nudumque retineret speciem. Unde
 „in sacris litteris potius somnus, quam mors
 „adpellatur., (5) Quod cum morte omnes
 ipforum calamitates et miseriae finiantur,
 2 Cor. V, 4. ipsi contra, quod ad animam,
 statim in quietem transferantur. Vid. supra
 §. V. (6) Quod in ipsa morte sancti ange-
 li sint circum ipsos, ipforumque animas in
 praestitutum eis locum beatitatis portent.
 Luc. XVI, 22. Hebr. I, 14. (7) Quod Spi-
 ritus eius, qui Christum ex mortuis excita-
 vit, etiam ipforum mortalia corpora resusci-
 taturus, Rom. VIII, 11. Iob. XIX, 25. 26.
 glorificaturus, et cum animabus coniuncta
 eo translaturus sit, vbi non amplius affli-
 ctio, neque quiritatus, neque dolor, ne-
 que mors erit, quippe quæ sublata et
 absorpta erit victoriose. 1 Cor. XV, 26.
 43. 44. 54. 55. Apoc. XXI, 4.

ARTICVLVS VICESIMVS
 QVINTVS,

DE
 RESVRRECTIONE
 MORTVORVM.

§. I.

Quid præ-
 terea futu-
 ram glori-
 am ante-
 cedit?

Mortem sequitur *resurrectio mortuorum*,
 quæ simulatque contigerit, iudicium-
 quæ habitum fuerit, pii ac fideles in plenam
 præ-

De resurrectione mortuorum. 369

præparatæ ipsis futuræ gloriæ possessionem
venient; mali vero et impii in destinatam
eis damnationem secundum corpus et ani-
mam transferentur.

§. II.

Is, a quo resurrectio mortuorum existit, Quis ille,
sive qui mortuos resuscitat, *Deus trinus* est, qui mor-
tuos resu-
Deut. XXXII, 39. 1 Sam. II, 6. qui hac in re
suam omnipotentiam et vim æternam non
minus, quam in prima creatione factum
est, gloriose declarat. Rom. I, 20. IV, 17.
1 Cor. VI, 14. Phil. III, 21. Ita speciatim
Pater gloria sua non solum Iesum, Domi-
num nostrum, ex mortuis reuocavit, Rom.
VI, 4. Hebr. XIII, 20. 2 Cor. IV, 14. sed
eos etiam, qui per Christum obdormierunt,
cum eo ducet, 1 Thess. IV, 14. 2 Cor. IV,
14. immo omnes omnino mortuos resusci-
tabit et viuificabit. Io. V, 21. *Christus Iesus*,
qui ipsa resurrectio et vita est, Io. XI, 25.
non solum, quum mortalis ageret, propria
virtute, quos voluit, viuificauit, Io. V, 21.
25. XI, 43. 44. Matth. IX, 25. Luc. VII, 14.
15. et ἐξουσίαν, potestatem habuit animam
suam ex mortuis rursus sumendi; Io. X, 17.
18. Rom. I, 4. sed etiam is est, qui voce po-
tentiae suæ, qua ipse sibi subicere potest
omnia, omnes, qui in monumentis erunt,
uiuificabit, Phil. III, 21. Io. V, 28. 29. VI,
39. 40. 44. 54. quemadmodum in prima
creatione per ipsum, tamquam verbum sub-

A a

stan-

stantiale, res omnes productæ sunt, Gen. I, 3. 6. 9. 11. 14. 20. 24. 26. Io. I, 1. seqq. *Spiritus sanctus*, qui itidem in principio, sese super aquas librans, omnia viuificauit, Gen. I, 2. et in mortalibus fidelium corporibus habitat, idem ille est, per quem illi (nec non ceteri mortui omnes) viuificabuntur. Rom. VIII, 11. Vid. quoque Ezech. XXXVII, 9. seqq.

§. III.

Num
omnes
homines
resur-
gent?

Resurrectio mortuorum *uniuersalis* est, ita vt omnes ac singuli homines, qui aliquando vixerunt, iusti ac iniusti, etsi ad diuersum finem, ad vitam scilicet vel supplicium æternum, eius participes reddantur, Io. V, 25. 28. 29. Act. XXIV, 15. 1 Cor. XV, tot. 1 Thess. IV, 16. Dan. XII, 2. Quos autem aduentus Domini viuos et superstitēs deprehenderit, illi ἐν ἀτόμῳ, vno temporis puncto, ἐν ἑπὶ ὀφθαλμοῖς, oculi momento transmutabuntur, 1 Cor. XV, 51. 52. et rapiuntur in nubibus obuiam Domino, atque ita semper cum Domino erunt, 1 Thess. IV, 16. 17.

§. IV.

Natura et
modus re-
surrectio-
nis qua-
nam in re
consistit?

Natura et *modus* resurrectionis mortuorum in eo consistit, quod idem corpus, quod quis in hoc mundo gesserit, et in quo bona aut mala fecerit, Deoque aut peccato seruierit, resuscitabitur, et cum anima denuo coniungetur, Iob. XIX, 25. 27. 1 Cor. XV, 53. 54. Phil.

De resurrectione mortuorum. 371

Phil. III, 21. Corpus tamen, quod quidem, quod ad essentiam, idem corpus est, quod fuit antea, non amplius naturales suas, sed spirituales habebit proprietates, adeoque immortale et incorruptibile erit. 1 Cor. XV, 42-44. Corpora autem fidelium vna cum spiritualibus proprietatibus simul caelesti gloria induentur et ornabuntur, 1 Cor. XV, 41-43. siquidem Christus ea *μετασχηματισε*, sic transfigurabit, ut eandem cum eius glorioso corpore formam habeant, Phil. III, 21. et fulgeant, ut fulgor æthereus et stellæ, Dan. XII, 3. et sicut sol in regno sui Patris, Matth. XIII, 43. coll. Matth. XVII, 2. LV THERVS Postill. Eccles. in epist. Domin. XXIII. post Trinir. Tom. XIV. Lips. fol. 381. a. „Corpus nostrum utcumque ærumnosum, miserum et deforme in vita pariter ac morte est, adventu tamen suo tam pulchrum, purum, illustre, clarum et gloriæ plenum faciet Dominus, ut eandem, quam immortale ipsius corpus, formam accipiat, non uti ex cruce pependit et in sepulcro positum fuit cruentum et pallidum, cum ignominia et dedecore, sed uti est ad dexteram Patris gloriosum. Vnde non decet exhorrescere, quod hoc corpus deponere debeamus et permittere, ut nos eius honore, iustitia et vita priuemur, et ipsam per mortem et sepulcrum deuoretur et aboleatur, (hoc inimici Christi metuant et horreant necesse est,) sed

A a 2

par

„par est leto animo hoc sperare, et diem ex die expectare, ut veniat mors, et nos ab his foetidis sordibus liberet.“ Vnde e contrario colligi licet, in impiorum corporibus meras atque horrendas tenebras, formas et characteres satanicos esse apparituros. Vid. Apoc. XXII, 15.

§. V.

Finis resurrectionis mortuorum quis?

Finis resurrectionis mortuorum ex parte Dei est gloria eius, quam per demonstrationem tum omnipotentiae suae in resuscitandis mortuis, tum immensi amoris ac misericordiae suae erga fideles et pios, tum etiam iustitiae suae vindictivae in impios et peccatores manifestabit atque amplificabit. Ies. XXVI, 19. *Ex parte hominum* finis est, ut unusquisque ante tribunal Christi statuatur, et ferat praemium eius, quod in corpore fecit, vel boni vel mali, 2 Cor. V, 10. Apoc. XX, 12. 13. 15.

§. VI.

Num fieri potest, ut mortui resurgant?

Fieri posse, ut resurgant mortui, ratio corrupta ex se ipsa cognoscere nequit, vnde omni aëo fuerunt, qui hoc negarent, Sap. II, 1. 3. 5. 1 Cor. XV, 12. 29. 32. Cuiusmodi tempore Christi fuerunt Sadducaei, Matth. XXII, 23. Act. XVII, 18. XXIII, 8. Fundatur autem hoc, uti iam supra §. II. meminimus, *omnipotentia Dei* seu excellenti potentiae magnitudine, Eph. I, 19. 20. Phil. III, 21. Luc. I, 37. nec non *promissionibus*

De resurrectione mortuorum. 373

nibus illius, quæ omnes tales sunt, ut sint in Christo etiam, et sint in eo ita, 2 Cor. I, 20. nec possint non fieri, Hebr. VI, 18. Tit. I, 2. Variis etiam modis Deus pro sapientia sua hanc rem in natura efficaciter et iucunde adumbravit. 1 Cor. XV, 35. 38. Io. XII, 24. LVTHERVS Enarrat. in 1 Cor. XV. Tom. V. Witteb. fol. 171. b. (Tom. VI. Alt. fol. 316. a.) „Ideo quoties ruri agricolam serentem conspexeris, toties imaginem et formam vides, quomodo „Deus mortuos sit excitaturus, sed necesse est, „ut ante huic doctrinæ fidem habeas. Hac „enim comparatione inductus facile cogitare „potes, Deum eiusmodi esse agricolam, et te „ipsum esse granum, quod in terram proicit, „et de integro multo pulchrius et splendidius, „quam proiectum fuerat, prodeat. Est autem „Deus multo melior et potentior agricola, „quam in campo vnus aliquis rusticorum, qui „saccum habet ex humero pendentem plenum „seminibus, quæ nos homines sumus, quoties „quot vmquam ab Adamo procreati et procreandi in terram venimus vsque ad summum diem. Hos passim in terram seminat, „ut casu adprehenderit tam viros quam mulieres, tam magnos quam paruos, senes et „iuuenes. - - Iam vero quid animi obtinet „aut cogitat bonus agricola, quoties frumentum suum ita disseminat? Et res ita apparet, tamquam inanem sumat operam, et „ipse

„ipse vesanus videatur, quod ultro ac temere
 „frumentum suum dilapidet? Quere hoc ex
 „ipso, et statim respondebit tibi, se non ideo
 „frumentum proicere, quod velit illud aut
 „perdere, aut suere perire, sed quod breui
 „longe pulchrius et copiosius id prouenturum
 „speret. - Hoc exemplo nobis inductis quo-
 „que discendum atque cogitandum est, coram
 „Deo perinde agi, quum heic aliquot, alibi
 „iterum aliquot in cœmeteria proicit, aut ho-
 „die me, cras alium adprehendit, atque ita
 „subinde hunc ante, alium post, vt sua grana
 „aut semina in terram seminat. Et hoc non
 „aliter intuemur, ac si de omnibus talibus ple-
 „ne actum sit, et habenda sint iam perpetuo
 „conclamata corpora. - Nobis autem ideo
 „hæc scribuntur, et tam amabili comparatio-
 „ne depinguntur, vt similes cogitationes ani-
 „mo complectamur. „

§. VII.

Quod-
 nam offi-
 cium no-
 strum se-
 cundum
 hanc do-
 cttrinam?

Officium nostrum secundum hanc doctri-
 nam est: (1) Vti in omnibus reliquis veri-
 tatibus, ita præcipue in hac mentem et co-
 gitationem ad obediendum fidei cogere,
 nec permittere, vt in vllam dubitationem
 in hac pretiosissima et grauissima veritate,
 in qua omnis filiorum Dei spes nititur, nos
 adducat, 1 Cor. XV, 16-19. (2) Contra
 autem eo laborare, vt in fide ac spe futuræ
 resurrectionis magis magisque stabiliamur
 et confirmemur, eumque in finem tam sa-
 cræ

De resurrectione mortuorum. 375

eræ scripturæ testimonia diligenter meditari, quam Deum, ut ea in nobis obsignet, submisit orare, 1 Cor. XV. tot. LVTHERVS in Io. XX. Tom. IV. Alt. fol. 692. a.

„Reliqui fidei christianæ articuli etiam difficiles sunt creditu; hic autem articulus omnium difficillimus est. Ratio, quod nullus adeo repugnet experientiæ, uti quidem hic ipse. Palam enim ante oculos nostros est, omnes mundi incolas a morte abripi, et diem suum obire. Conduntur in sepulcrum alii post alios, imperatores, reges, summi, medii, infimi, pueri, viri, mulieres, omnis fortune ac loci homines. Alium belluæ discerpunt, alium consumit gladius. Hic alterum pedem in Hungaria relinquit, ille comburitur igne. Alium vermiculi sub terra, pisces alium in mari comedunt, alium alites sub dio deuorant, cetera. Heic difficile fuerit ad credendum, hominem, qui tam variis modis perit et moritur, in vitam reuocatum, et membra hominis, hinc inde dispersa et in cinerem et puluerem redacta in igne, aqua, terra, rursus coactum iri, et hominis animam in eodem corpore, in quo antea fuit, habitaturam, hominemque eisdem oculis, aures, manus et pedes eisdem habiturum esse, corpore cum membris suis non aliam induente essentiam. Hoc, inquam, difficile fuerit ad credendum. Ratione enim si rem metiri volueris, hic articulus de resurrectione mortuorum res aut omnino

„nulla, aut certe prorsus dubia videtur. - Ad summam, si rationem in consilium adhibueris, et secundum externam rei speciem et experientiam iudicaueris, fides concidit, et hic articulus deseritur. Quemlibet igitur Christianum sacrae scripturae testimonium de resurrectione mortuorum, et ipsam Christi, Domini nostri, resurrectionem indubitata patefactione testatam et demonstratam, ante oculos habere, in eaque firmiter niti, externam autem rei speciem et experientiam rationis missam facere necesse est. „ (3) Ante omnia ex spirituali morte peccati nos exsuscitari sine re, seu cum Christo spiritualiter resurgere, Eph. II, 5. 6. V, 14. Col. II, 12. 13. Rom. VI, 4. et tamquam spiritualiter resuscitados superis studere et in caelis obuerfari. Col. III, 1. 2. I Cor. XV, 34. Phil. III, 20. (4) Corpus nostrum, quod tantae gloriae in futura resurrectione particeps fieri potest, non peccato et impuritati, sed Domino, quem Deus suscitauit et nos per potestatem suam suscitaturus est, mancipare, I Cor. VI, 14. Rom. XII, 1. (5) Respectu futurae gloriae non recusare, corpus nostrum variis calamitatibus et perpeffionibus propter Christum et pietatem subiicere, si Deus iis nos dignari voluerit. Iob. XIX, 25. 26. Hebr. XI, 35. 2 Mac. VII, 9. 11. 14. 36. (6) Sub spe gloriae resurrectionis ex mortuis mortem libenti animo subire, vbi Deus horam nostram venire

nire iusserit. Vid. com. 5. (7) Mortem nostrorum, qui in Christo obdormierunt, non lugere, ut ceteri, qui spem non habent, sed quietem et recreationem, ad quam perueniunt, illis gratulari, firmiter confidendo, fore, ut futura mortuorum resurrectio coram Deo et Agno nos denuo æternum et inseparabiliter coniungat. 1 Thess. IV. 13. 14-18.

§. VIII.

Solatium, quod filii Dei ex futura corporum suorum resurrectione habent, generatim in eo consistit, quod in illa, quidquid naturale, mortale et corruptibile est, tamquam imaginem terreni, omnino deposituri, contra ea imaginem cælestis Adami in incorruptibilitate gesturi, Psalm. XVII, 15. 1 Cor. XV, 49. 2 Tim. I, 10. et per omnium sæculorum æternitatem in vniuersorum angelorum et hominum electorum communionem cum Christo victuri et regnaturi sint. 1 Thess. IV, 16. 17.

ARTICVLVS VICESIMVS
SEXTVS.

DE EXTREMO IVDICIO
ET
CONSUMMATIONE SÆCVLI.

§. I.

Denique tamquam pars eorum, quæ statum futuræ gloriæ antecedunt, spectantur.

Aa 5

Quid præterea statum futuræ gloriæ antecedit?

Etandum quoque est *extremum iudicium*,
et *consummatio sæculi*.

§. II.

Extre-
mum iu-
diciū
quis
acturus?

Extremum iudicium *acturus*, ipse *Deus triunus* est. Speciatim *Christus Iesus* vir ille est, per quem Deus orbem terrarum ex æquo; sine personarum discrimine, iudicaturus est, Act. XVII, 31. Sap. VI, 8. 9. Apoc. VI, 15 - 17. Ies. II, 4. 10 - 17. quippe quem vivorum mortuorumque iudicem destinavit, Act. X, 42. et cui omne iudicium, etiam quatenus homine natus est, dedit, Io. V, 22. 27. Descendet autem de cælo ad iudicium cum præonio, cum summi angeli voce, et cum diuina tuba, 1 Thess. IV, 16. et tunc cum omnibus sanctis *angelis*, Matth. XVI, 27. XXIV, 30. 31. XXV, 31. (ex eius regno omnia detrimenta maleficosque collecturis, Matth. XIII, 40. 41. et malos separaturis a iustis, com. 49.) cum suis item sanctis legionibus, Iud. com. 14. 15. Apoc. XIX, 11 - 14. (malos angelos, 1 Cor. VI, 3. et mundum, com. 2. cum ipso iudicaturis, Psalm. CXLIX, 6 - 9. Apoc. II, 26. 27. Sap. III, 8. vid. Matth. XII, 41.) gloriosus apparebit.

§. III.

Quinam
iudican-
di?

Iudicandi, sunt (1) *diabolus omnesque angeli illius*, quippe qui ad magni diei iudicium æternis vinculis sub tenebris servantur. Iud. com. 6. 2 Petr. II, 4. 1 Cor. VI, 3. Damna-

Damnabuntur autem a Christo eiusque sanctis ad tartarum, Apoc. XX, 3. et delicientur in igneum sulphureumque stagnum, com. 10. seu in ignem sempiternum, Matth. XXV, 41. (2) *Mundus*, 1 Cor. VI, 2. siue *omnes* in vniuersum *homines*, 2 Cor. V, 10. viui ac mortui, 2 Tim. IV, 1. Act. X, 42. boni et mali, Rom. XIV, 10. 11. parui iuxta ac magni, Apoc. XX, 12. summates et humiles, Apoc. VI, 15-17. Et quidem non *externa* tantum *opera* hominum, quæ patrarint, 1 Cor. III, 13. et verba, quæ loquuti fuerint, Matth. XII, 36. Iud. com. 14. 15. sed tenebrarum etiam occulta, seu animorum consilia in lucem tum proferentur et in iudicium. Sap. I, 9. Ecclef. XII, 14. Rom. II, 16. 1 Cor. IV, 5.

§. IV.

Regula, ad quam homines eorumque vni-
 versa opera, verba et cogitata aliquando iudi-
 cabuntur, *non est lex aliqua mundana*, vel *ima-*
ginatio, cuius ductu homines hoc illudue pec-
 catum esse, vel non esse statuerunt, sed *propria*
conscientiæ testimonium, in primis verbum Dei,
 tam legis, quam euangelii. Quicumque igitur
 sine lege peccauerint, sine lege etiam (ex con-
 scientiæ videlicet suæ testimonio) iudicabun-
 tur et peribunt. Quicumque autem cum le-
 ge peccauerint, per legem damnabuntur.
 Rom. II, 12. Item sermo, quem Christus
 habuit, homines damnabit in postremo die.
 com. 16. Io. XII, 48. 2 Theff. I, 7. 8. §. V.

Ad quam
 regulam
 iudicium
 fiet?

§. V.

Quis finis *Finis* extremi iudicii, et ratio, ob quam
 extremis speciatim homines in eo comparere debe-
 iudicii? bunt, est, ut ferat quisque præmium eius,
 quod in corpore fecerit vel boni vel mali,
 2 Cor. V, 10. Hinc *iusti*, etsi ante tribunal
 Christi sistuntur, in iudicium non veniunt,
 Io. V, 24. sed gloriam honoremque, Rom.
 II, 7. Matth. X, 32. et laudem, 1 Cor. IV,
 5. requiem, 2 Thess. I, 7. Domini sui vo-
 luptatem, Matth. XXV, 21. regnum præcla-
 rum, Sap. V, 17. paratum ab orbe condito,
 Matth. XXV, 34. pulcherrimam nec um-
 quam flaccescentem iustitiæ ac vitæ coronam
 de Domini manu, Sap. V, 17. 1 Cor. IX, 25.
 2 Tim. IV, 7. 8. salutem, Hebr. IX, 28. et vi-
 tam sempiternam, Matth. XXV, 46. conse-
 quuntur. *Impii* vero ferunt sæuitiam et pœ-
 nam, calamitatem et angustiam, Rom. II,
 5-9. et facessere iubentur in ignem sempi-
 ternum, diabolo eiusque angelis paratum,
 Matth. XXV, 41. ubi pœnas æterno exitio
 dabunt Domino et gloriosæ illius potentiæ,
 2 Thess. I, 9. aduersus quam rem nulla eis
 proderit excusatio, nullum patebit effugi-
 um. Matth. VII, 22. 23. XXV, 24-30. 44-46.
 In quibus omnibus Deus partim beneficen-
 tiæ suæ diuitias in filios suos, partim iusti-
 tiæ suæ punientis seueritatem in malos
 ostender et illustrabit. Eph. II, 7. 2 Thess.
 I, 5-10.

§. VI.

§. VI.

Huc spectat doctrina de *consummatione sæculi*, cuius signa et prodigia prænuntia fulius *consummatione sæculi notandum?* enarrantur Matth. XXIV. Marc. XIII. et Luc. XXI. Consummatio autem sæculi in eo consistit, quod cæli igne perniciter perituri, elementa ardentia dissoluenda, et tellus, et quæ in ea sunt res, conflagaturæ sunt. Luc. XXI, 33. 2 Petr. III, 10. 1 Cor. VII, 31. Hebr. XII, 26. 27.

§. VII.

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est: (1) Animum ad imminentis iudicii et adpropinquantis finis mundi memoriam sæpius reuocare, signa etiam eius prænuntia diuina cum sapientia discernere et obseruare, Ecclesiast. XI, 9. Sirac. VII, 40. XVIII, 23. 24. Luc. XXI. LVTHERVUS Conc. III. in 1 Cor. XV. Tom. VIII. Alt. fol. 403. b. „*Sanctus Hieronymus bellas hac de re habet cogitationes: Siue comedam, inquit, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper vox illa videtur sonare in auribus meis: Surgite, mortui, et venite ad iudicium!* Idem Hieronymus porro: *Quoties diem iudicii cogito, toties corde et corpore contremisco; si quæ presentis vitæ est latitia, ita agenda est, ut numquam amaritudo futuri iudicii recedat a memoria. Et profecto ita est, quisquis ex animo credit, et sic statuit ac iudicat, mori et in iudicio comparere se oportere, ille* „*lati-*

„letitia exsultare ac triumphare gaudio desinet,
 „non admittet fraudes, nec scelus aliquod susci-
 „piet: Sicut etiam Siracides ait: In omnibus tuis
 „negotiis memento exitus tui, et numquam
 „peccabis. Exhorrescit mens humana, ubi de
 „tremendis iudiciis et horrendis magnæ ac se-
 „veræ iræ Dei exemplis audit, quod diluvio im-
 „piorum mundum deleuerit, et Sodomorum
 „Gomorrhæque vrbes sulphure et flammis cæ-
 „lestibus funditus euerterit; quomodo non ex-
 „horrescat, si Deum audiat mundum fulgure,
 „tonitru et igne ad nouissimum iudicium voca-
 „turum esse, in quo, vti Petrus 2 ep. III, 12.
 „scribit, celi igne interibunt, et elementa estu-
 „antia soluentur? Ista enim iudicia typi tan-
 „tum sunt futuræ iræ et iudicii Dei, quemad-
 „modum idem Apostolus 2 ep. II, 6. dicit, De-
 „um illorum oppidorum euersione statuissè do-
 „cumentum eorum, qui impii essent futuri.,
 (2) Non committere, vt mora et tarditate
 aduentus seruatoris nostri, vel ad malitio-
 sam eius negationem et inde oriundam car-
 nalem securitatem, vel ad vllam socordiam
 et desidiam in excolenda pietate commoue-
 mur, sed eam pro salute ducere, 2 Petr. III,
 3. 4. 9. 15. 1 Thess. V, 3. 6. 9. Matth. XXIV,
 48. 49. XXV, 5. (3) Ante omnia hanc veri-
 tatem de futuro iudicio ad veram resipiscen-
 tiam et sanctimoniam vitæ pietatemque sub
 assiduis vigilantia et orationis exercitiis fi-
 deliter referre, vt ei impolluti inculparique
 cum

cum pace reperiamur, Act. XVII, 30. 31. 2 Petr. III, 11. 14. Luc. XXI, 34. (4) Speciatim per cognitionem corruptibilitatis rerum omnium ad sinceram amoris huius mundi abnegationem et ad eorum, quæ incorruptibilia atque æterna sunt, consecrationem erudiri et excitari nos sinere, Matth. VI, 19-21. 1 Cor. VII, 29-31. 1 Io. II, 16. Hebr. XII, 28. 1 Petr. I, 4. (5) Iusti iudicii, quod futurum est, causa sub omnibus huius ævi perpersionibus per tolerantiam possidere animas nostras, et illatam nobis iniuriam patienter ferre, Iac. V, 8. 9. 2 Theff. I, 5. (6) Nec quid ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui tenebrarum occulta proferet in lucem, et animorum consilia patefaciet, 1 Cor. IV, 5. (7) Cum vniuersa rerum natura seruatoris nostri aduentum cum eoque coniunctam instantis sæculi mali consummationem præstolari, ut cum omnibus Dei filiis a seruitute interitus plene adferri, ipsi seruire possimus, Rom. VIII, 20-23. Apoc. XXII, 17. 20. 1 Theff. I, 10. Tit. II, 13. 2 Petr. III, 12.

§. VIII.

Solatium, quod fideles Dei liberi ex hac Quod- doctrina habent, est, (1) quod iam vltimum nam solatium fideles ex hac doctrina habent? tempus, et iudex pro foribus adfit; 1 Io. II, 18. Iac. V, 8. 9. Hebr. X, 37. (2) quod hic ipsorum frater, aduocatus et sponsus sit,

fit,

fit, cuius proinde conspectum non est quod horreant, sed læto et confidenti in ipsum animo esse possint; Luc. XXI, 28. 1 Thess. V, 4. 1 Io. II, 28. IV, 17. (3) quod non supplicio a Deo destinati sint, sed saluti paratæ per Dominum nostrum Iesum Christum; 1 Thess. V, 9. Io. V, 24. (4) quod ipsos angelos et mundum cum Christo iudicaturi sint; vid. supra §. II. (5) quod tunc cum vniuersa rerum natura a seruitute interitus liberentur, et gloriosa liberorum Dei libertate sine fine fruuntur; Rom. VIII, 21. (6) quod Christus omnia ipsorum opera omnesque perpeffiones coram Patre suo cælesti et omnibus sanctis angelis palam prædicaturus et laudaturus sit, ut multa cum confidentia stare possint in eorum conspectu, qui eos presserint eorumque labores labefactauerint; vid. supra §. V. Sap. V, 1. seqq. (7) quod, hoc sæculo consummato, Deus novos cælos terramque nouam conditurus sit, in quibus habitet iustitia, et in quibus ipsi omni promissa salute æternum fruuntur. Vid. supra §. VI.

*ARTICVLVS VICESIMVS
SEPTIMVS,
DE ÆTERNA VITA.*

§. I.

Quæ-
nam inter
hunc et
antece-

Quamquam homines, simulatque e statu peccati et iræ in statum reparatæ per Chri-

Chri-

Christum gratiæ, in ordine veræ pœnitentem
 tiæ ac fidei, transeunt, veram beatitudinem articulum
 æternamque vitam in Christo consequuntur, ^{conne-}
 Rom. VIII, 24. Eph. II, 5. 6. 8. Tit. III, ^{xio?}
 5. 1 Io. V, 11. 13. Ista tamen beatitudo,
 quoad in hoc tabernaculo degunt, adhuc
 multa imperfectione laborat, 2 Cor. V, 4. 8.
 Rom. VIII, 22. 23. et tum ipsismet tum mun-
 do (diuersa licet ratione) later, Col. III, 3.
 1 Io. III, 1. 2. 2 Cor. V, 7. Sap. II, 13. 16.
 Vnde ad consummationem eorum omnino
 necesse est, vt per resurrectionem in nouissi-
 mo die et beneficium consistendi coram tri-
 bunalī Christi in *statum plenariæ gloriæ*, quæ
 futura et patefacienda est, Rom. VIII, 18.
 19. transferantur; qua de re in hoc ultimo
 articulo adhuc breuiter agendum est.

§. II.

Hæc autem beatitudo, quæ alias vita ^{Quomo-}
 æterna vocatur, *donum gratuitum Dei tri-* do beati-
unius est, Rom. VI, 23. Luc. XII, 32. quam tudo spe-
 speciatim Christus Iesus morte sua piaculāri cūda
 et profectione ad Patrem adquisiuit, Io. II, est?
 13-15. XIV, 2. 3. Hebr. V, 9. qui et fide-
 les in die nouissimo ad eam resuscitaturus, Io.
 V, 25. VI, 40. 54. Dan. XII, 47. et in ple-
 nariam illius possessionem in magno illo iu-
 dicii sui die introducturus est, 1 Theff. V,
 9. 10. Matth. XXV, 21. 23. 34. vt adeo pro-
 priorum operum merito nequaquam adscri-
 benda ea sit, Rom. XI, 6. Eph. II, 8. 9.

Bb

§. III.

§. III.

Quinam
participes
beatitudinis
et vitæ
æternæ
erunt?

Participes istius plenariæ beatitudinis vitæque æternæ, quum gloria Christi patefieret, erunt, qui per fidem in Filium Dei et regenerationem iam in hoc mundo salutem nati sunt, et a morte in vitam transuerunt, Io. V, 24. 1 Io. III, 1. 2. Tit. III, 4-7. vid. supra §. I. in ista fidei vita ad finem vsque perstiterunt, Matth. X. 22. XXIV, 13. Apoc. II, 10. 26. eamque, dando operam sanctimoniam, Rom. VI, 22. 1 Io. III, 3. Col. III, 4. 5-10, Hebr. XII, 12. 14. caritati, et variis bonis operibus, Rom. II, 7. Matth. XXV, 34-40. præclarum etiam certamen aduersus diabolum, mundum et carnem certando, 1 Tim. VI, 11. 12. 2 Tim. II, 5. IV, 7. 8. crucemque et ignominiam Christi libenti animo suscipiendo, demonstrarunt. 1 Petr. I, 3-9. IV, 12. 13. 2 Tim. II, 10-12. Rom. VIII, 17. Act. XIV, 22. Matth. X, 32. Qui vero in delictis et peccatis perseuerant mortui, Eph. II, 1-3. et durum ac deploratum animum retinent, Rom. II, 5. nec Filio parent, Io. III, 36. adeoque emarcidæ et infructuæ arbores sunt, Matth. III, 10. VII, 19. ex carnis arbitrio viuunt, Rom. VIII, 13. illiusque opera peragunt, 1 Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 19-21. VI, 8. Apoc. XXI, 27. XXII, 15. crucem Christi auersantur, Phil. III, 18. 19. Matth. X, 33. et per temporariam peccati fruitionem bonis suis in hac vita defunguntur,

guntur,

guntur, Hebr. XI, 25. 26. Luc. XVI, 25. illi non solum futura gloria excludentur, sed sub ira etiam manent, in damnationem ruunt, in orcum atque ignem sempiternum præcipitantur, diabolo eiusque angelis paratum. Vide loca modo memorata, et 2 Theff. I, 9. Ps. XLIX, 15. Matth. XXV, 41. Luc. XVI, 23. 24. Matth. VIII, 12. Apoc. XX, 10. a quo nominis christiani, verbi et sacramentorum, externe quidem usurpatorum, allegatio in ista die tueri potuerint neminem, qui in hoc mundo sic, vt diximus, adfectus fuit. Matth. VII, 21. Luc. XIII, 25-27. Matth. XXV, 3-13.

§. IV.

Ipsa æternæ vitæ gloria omnem humani Qua in re
et naturalis ingenii vim superat, Sap. V, 2. æternæ
Fidelibus autem Deus per Spiritum sapien- vitæ glo-
tiæ et patefactionis illustratos mentis oculos ria confi-
donauit, vt sciant, quid sperandum sit vo- stet?
catis ab eo, & quam locuples gloriosaque sit
eius hereditas, destinata sanctis, Eph. I, 18.
coll. 1 Cor. II, 9. 10. tamen si necdum illis
patet, quid sint futuri, 1 Io. III, 2. quippe
qui ex parte tantum cognoscunt, 1 Cor. XIII,
9. 10. nec nisi per vices, vbi Deo placet, ali-
quem virtutum æui futuri gustum anticipa-
re dignantur, Hebr. VI, 5. illic demum ple-
ne satiandi adeoque et plene cognituri, Ps.
XVII, 15. coll. Ps. XXXVI, 9. 10. 1 Cor.
XIII, 12. Interim ex verbo Dei exploratum

Bb 2

ha-

habemus, αἰώνιον βῶρος δόξης καὶ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, *eternum pondus excellenter excellentis gloriæ futurum esse*, 2 Cor. IV, 17. siquidem eius participes non solum ab omni peccato, 1 Cor. XV, 54. 56. a morte et omnibus sub hoc nomine comprehensis doloribus, morbis aliisque molestiis, Apoc. XXI, 4. ab odio et vexatione mundi, Apoc. VII, 13-17. Sap. V, 1. 3-5. ab omni tentatione satanæ, tunc cum mundo ab ipsiſ iudicati, 1 Cor. VI, 2. 3. Apoc. XX, 1-3. 10. et generatim ab omni malo liberati erunt, 2 Tim. IV, 18. Matth. VI, 13. Luc. XXI, 28. 1 Cor. I, 30. Eph. I, 14. Rom. VIII, 23. sed *beata etiam visione Dei et servatoris Iesu Christi*, 1 Cor. XIII, 12. 1 Io. III, 2. Iob. XIX, 25-27. 1 Petr. I, 7. 8. in omnium electorum angelorum et hominum confortio dignabuntur, Matth. VIII, 11. Hebr. XII, 22. 23. Apoc. V, 6. 11. VII, 9. 11. 15. XIV, 1. 3. 4. 5. Ex qua beata visione Dei et Christi, quod speciatim ad *animam* attinet, arctissima vnio cum Deo et Christo, Io. XVII, 21. 22. perfecta sapientia, sanctitas et iustitia, seu plenaria diuinæ imaginis instauratio, Psalm. XVII, 15. 1 Cor. XV, 49. plena item et gloriosa lætitia, 1 Petr. I, 8. Psalm. XVI, 11. XXXVI, 9. nec non sempiterna et numquam desitura laus Dei et Agni, Apoc. IV, 8-11. V, 11-14. quod ad *corpus* autem, iucundissima eius glorificatio orietur,

tur, 1 Cor. XV, 43. 44. Matth. XIII, 43.
coll. Matth. XVII, 2. Exod. XXXIV, 29. 35.
LVTHERVUS in 1 Cor. XV. Tom. V. Wit-
teb. fol. 160. a. (Tom. VI. Alr. fol. 300. b.)

„Et quis earum rerum numerum inire potest,
„quibus homo tantum ad sustentandum corpus
„opus habet? In futuro autem sæculo omnium
„harum usus cessabit, nec ullius momenti erit,
„tantum in Deo habituris, et nulla cœna, quam-
„libet delicate et opipare instructa, tantum præ-
„bitura sit nobis voluptatis, quantum Deus ipse
„unico intuitu nos delectabit et adficiet. Ita-
„que semper sanus et validus, semper letus et
„alacris, neque non sole et luna pulchrior et ni-
„tidior permanebis, itaque ut vestes aureæ et
„purpureæ, quas reges et cæsares ferre solent,
„pro luto et stercore ducendæ sint, si cum vno
„adspectu, quo Deus nos illustrabit, comparatæ
„fuerint. „ Ibid. b. Ibi sane nec panem, nec
„vinum requiremus, nec pharmacopolas, nec
„vinum desideraturi, sed Dei intuitu et adspe-
„ctu contenti erimus, qui totum corpus niti-
„dum, sanum et validum faciet, atque ita leue
„et agile, ut instar scintillæ in sublimi fera-
„mur, vel uti sol sub cælo cursitat, ita ut
„vno momento vel hic in terris infra, vel in
„celis supra simus. Illud facile credam, longe
„pulchriora et amœniora futura esse omnia,
„nimirum aquas, arbores, gramina et omnino
„nouam terram fore, ut Petrus inquit, ad-
„spectu delectabilem, corpus autem et animam

Bb 3

„Deus

„Deus solus sustentabit, ut qui solus erit omnia
 „in omnibus, cuius aspectus plus vitæ, gau-
 „dii et voluptatis præbebit, quam omnes crea-
 „tura possunt. Itaque expertus ipse testaberis,
 „te non unicum momentum in cælo cum totius
 „mundi diuitiis et voluptatibus permutare vel-
 „le, vel mille atque iterum mille annos duran-
 „tibus. - - Iam ipse apud animum tuum con-
 „sidera, quid omnium libentissime habere, et
 „potissimum optare velis. Vis libenter abun-
 „dare opibus, habere exquisitorum ciborum pa-
 „ratam copiam, frui longa vita, sano corpore,
 „splendidis vestimentis esse amictum, habitare
 „in superbis ædibus, perpetuo gaudio et vo-
 „luptatibus deliciari, adhæc perfectissima sapi-
 „entia et omnium rerum cognitione atque in-
 „tellectu esse præditum, aut principatu et domi-
 „nio esse sublimem et conspiciendum? tum huc
 „confer oculos, ubi harum rerum omnium co-
 „piam consequeris. Elegantius et pretiosius te
 „conuestire statuit, quam ullus umquam cæsa-
 „rum ornatus fuit, immo splendidius, quam
 „sol et margaritæ esse consueverunt. Si domi-
 „nium concupiscis, plura, quam optare audes,
 „tibi dare paratus est. Cupis esse perspicacibus
 „oculis, καὶ ἐξυτέρον βλέπειν τῶ λογικός,
 „et audire acutissime, adeo ut muros quoque
 „et parietes ipsa oculorum acie penetres, tam-
 „que leui esse pondere, ut cum dicto sis, quo
 „animò prauolaras, aut hic infra in terris,
 „aut supra in nubibus? hæc omnia tibi optanti
 „con-

„contingent. Præterea quidquid aliud animo
 „excogitare potes, et habere, quod ad animum
 „aut corpus pertinet, hæc omnia affatim tibi
 „suppeditabuntur, si illum habueris. - - Et
 „quemadmodum ipse creaturas intuendo dele-
 „ctationem et voluptatem cum singulari gau-
 „dio capit; ita neque nos creaturis ultra opus
 „habebimus, nisi quod illarum adspectu gau-
 „dentes delectabimur, quum nouum celum et
 „terram intuebimur, Deum propter ea lau-
 „dando et amando, verum in ipso solo omnium
 „rerum adfuentiam habebimus. „ Quemad-
 „modum autem in æterna damnatione certi-
 „dantur gradus, Matth. VII, 2. VIII, 12. XI,
 „20-24. XII, 31. Luc. XII, 47. 48. Sap. VI,
 „7. ita etiam in futura beatitate, omnibus
 „quidem fidelibus victoribus per se commu-
 „ni, gloria et claritas, pro diuerso operum et
 „perfectionum modo ac proportionem, inæ-
 „qualis erit, 1 Cor. III, 8. XV, 41. 42. 2 Cor.
 „IX, 6. LVTHERVVS in 1 Cor. XV. Tom. V.
 „Witteb. fol. 170. b. (Tom. VI. Alt. fol. 315.
 „a.) „Illud in confesso est, in futura vita discri-
 „men fore, pro modo laboris et vitæ, quam
 „hic transegerunt. Nam quod Paulus fuerit
 „apostolus, Samuel aut Iesaias propheta, et si-
 „miles, fiet, ut alius alio plus claritatis habi-
 „turus sit. Ita proba illa et pudica Sara seu
 „Rachel ceteris mulieribus haud dubie præcel-
 „let, neque tamen aliam vitam aut conditio-
 „nem habebit. Itaque cuique discriminatim
 „Bb 4 „sui

„sui honores pro officii magnitudine attribuen-
 „tur. Et tamen vnus Deus et Dominus pariter
 „erit in omnibus, atque vniusmodi gaudium et
 „beatitudo. Secundum personam nemo plus ha-
 „biturus est altero. Sanctus Petrus plus me et
 „te non habebit, operum tamen gratia disci-
 „men erit. - - Idcirco quisque suum opus se-
 „cum feret, qui lucebit, et Deum laudabit,
 „vnde dicetur, diuus Petrus plus operatus est,
 „quam ego aut alius. Hic vir aut mulier ita
 „vixit, et tantum fecit. Atque vt in pauca
 „conferam, omnia coram Deo erunt paria in
 „fide, in gratia, et vita celesti, in operibus
 „autem et illorum honoribus discrimina serua-
 „buntur. „

§. V.

Quod-
 nam offi-
 cium no-
 strum se-
 cundum
 hanc do-
 ctrinam?

Officium nostrum secundum hanc doctri-
 nam est, (1) a Deo Spiritum sapientiæ et
 patefactionis illustratosque mentis nostræ
 oculos submisse petere, vt viuide sciamus,
 quid sperandum sit vocatis ab eo, et quam
 locuples gloriosaque sit eius hæreditas, de-
 stinata sanctis; 1 Cor. II, 10. Eph. I, 16-18.
 (2) per veram resipiscenciam de via ampla,
 quæ ducit ad interitum, in tempore recede-
 re, et ab omnibus cupiditatibus et operibus,
 quæ a vita nos excludunt, æternumque exi-
 tium nobis adferunt, virtute fidei nos absti-
 nere; Matth. VII, 13. Rom. VIII, 12. 13.
 1 Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 19-21. Apoc.
 XXI, 8. 27. XXII, 15. (3) contra ea arctam
 viam,

viam, quæ ducit ad vitam, non solum ingredi, sed in ea etiam sanctimoniam operam sedulo nauando crucemque Christi patienter alacriterque suscipiendo, constanter persistere; Matth. VII, 14. Rom. II, 7. vid. supra §. III. (4) pretiosissima salutis bona, in euangelio nobis patefacta, diligenter animis nostris agitare et deuote expendere, tum vt hoc ipso ad abneganda apparentia huius vitæ bona tanto magis adliciamur, tum vt ardens plenariæ illius possessionis et fruitionis desiderium in nobis excitetur et augeatur; Hebr. XI, 26. Col. III, 1. 2. (5) aliis etiam succurrere, vt positam in Christo Iesu salutem cum gloria consequantur æterna; 2 Tim. II, 10. collat. 1 Thess. II, 16. (6) plene sperando et adprehendendo vitam æternam eo contendere, vt cursum nostrum et fidei certamen absoluamus. 1 Tim. VI, 12. 2 Tim. IV, 7. 8.

§. VI.

Solacium, quod fideles filii Dei ex hac doctrina habent, generatim in viuâ magnorum nam solatium fideles filii Dei ex hac doctrina habent? et pretiosorum bonorum, supra §. IV. memoratorum, cognitione situm est. Speciatim autem in eo, (1) quod vita æterna sit beneficium Dei, non in propriorum operum merito, sed in vera gratia et misericordia Dei in Christo fundatum; (2) quod iam in hoc mundo veram et certam illius spem habeant, in eaque magis atque magis

corroborari possint atque firmari; 1 Io. III, 2. 1 Petr. I, 3. 4. Psalm. XXVII, 13. Rom. V, 2. VIII, 24. 2 Tim. I, 12. IV, 18. 2 Cor. V, 1. (3) quod nullum in hoc mundo bonum perdere aut abnegare possint, pro quo non accepturi sint multo melius et gloriosius in futuro sæculo; Marc. X, 21. 30. Hebr. X, 34. (4) quod non possit eis obtingere tam grauis afflictio, pro qua non sint in futura vita percepturi maximam oblectationem; Matth. V, 11. 12. Rom. VIII, 18. 2 Cor. IV, 17. Apoc. VII, 14-17. (5) quod beatæ illius vitæ gloria numquam cesset, sed ipsi illa sine fine, et simul sine satietate et fastidio fruituri sint; 2 Cor. IV, 17. 1 Petr. I, 4. (6) quod Christus Iesus, ut heic per fidem æternam vitam in illis inchoauit, ita eos, per beatam mortem et resurrectionem ex mortuis, in plenam illius possessionem et fruitionem secundum corpus et animam olim translaturus et introducturus sit. Vide supra

§. I. II.

F I N I S.



IN-